DISSERTATIO HISTORICO-CRITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

QUIBUSDAM SECTIS ANTIQUIORIS ET RECENTIORIS AEVI MEDICIS.

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

QUIBUSDAM SECTIS ANTIQUIORIS ET RECENTIORIS AEVI MEDICIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI GUILIELMI TYDEMAN,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS;

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

PETRUS ABRAHAMUS JELTES,

HARLEMENSIS.

Ad diem I. *Octobris* MDCCCXXV. *Horâ* XII—I.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD J. W. VAN LEEUWEN.

MDCCCXXV.



VIRO DOCTISSIMO,

EXPERTISSIMO

CORNELIO HENRICO à ROY,

MEDICINAE DOCTORI, INSTITUTI REGII ARTIUM ET DOCTRINARUM, NEC NON SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM HARLEMENSIS SOCIO,

CET. CET.

Hancce dissertationem
omni, quâ decet,
reverentiâ

D. D. D.

AUCTOR.

„Alles Lebende besteht nur in fortschreitender Bildung und also auch die Wissenschaft; und selbst einzelne scheinbar rückgängige Bewegungen mussen als nothwendig zur Ausbildung und gleich dem Knoten in Internodium des Gewächses als temporelle Ruhepunkte betrachtet werden. Alle Theorien der Medizin sind nothwendig, sind einzelne Momente dieses cyclischen Bildungsprozesses; ihre Reihefolge ist nothwendig bedingt und keine Theorie der Medizin hätte früher enstehen oder gar nicht erscheinen können; jede frühere hat die spätere vorbereitet, und wie alles im Leben nothwendig organisch wechselwirkend ist, so ist es auch in der Geschichte der Medizin." D. G. Kiezer *Syst. d. Medizin. Bd.* 1, *p.* 4. *Halle* 1817. 8°.

PRAEFATIO.

Nemo certe est, qui de historiae medicae utilitate et praestantiâ dubitet; quid enim a medico magis optandum est, quam ut artis suae principia et progressus cognoscat. Illi autem scire non sufficit, qualis sit hodierna medicinae facies, plura noscere cupit, ut artis rudimenta discat, quae sensim sensimque ad ordinem Disciplinarum Philosophicarum translata firmiori, quam antea, inniti coepit fundamento. Quid! medicus historicâ hac cognitione, sicuti decet, instructus, non solum sterilem rerum gestarum enarrationem accipit, sed etiam, dogmata veterum edoctus, facilius recentiorum opiniones et theorias comprehendere valet, et mox percipit, illa non parum conferre ad hodiernum medicinae statum explicandum. Praeterea medicum, historicâ suae artis cognitione imbutum, non fugit, si comparationem instituat inter quasdam priscas et hodiernas opiniones, saepe non nisi mutato nomine eadem proponi, seculorum serie licet a se invicem distantia.

Hoc

Haec tamen non ita accipienda esse puto, ac si medicinae facies prorsus eadem foret, qualis antea fuit; minime: pugnant enim cum his tot tantaque inventa, quorum vim ad limites medicinae proferendos non negare possumus; obstant iis observationum historiae, quae fideli stilo conscriptae, sedulo collectae et traditae, artem medicam ad majorem perfectionis gradum extollunt; nihilominus tales saepe proponuntur theoriae, quae, justâ comparatione institutâ, si quae insit differentia, manifestam habent similitudinem. Sic igitur ex historiâ ipsius scientiae, ut ita dicam, evolutionem cognoscere possumus, unde pateat, vario tempore varias vigere debuisse *opiniones et dogmata.*

Ex hoc autem fonte dissertationis meae argumentum petii et nonnulla, impellente Promotore aestumatissimo M. J. MACQUELYN *viro Clarissimo, colligere animus tulit de quibusdam sectis prisci et recentioris aevi medicis, illarumque opiniones et placita inter se comparare, quarum sectarum historiam criticam elaboranti mihi non ipsius consilia denegavit dictus meus Praeceptor, qui, quoties per argumenti rationem licet, in Institutionibus Practicis Historiae Critico-Medicae utilitatem demonstrat.*

Antequam vero meum opus aggrediar suave mihi restat discipulo officium, Vobis scilicet Academiae Lugduno-Batavae Professoribus V. V. C. C. qui

me

me et literarum et philosophiae naturalis elementa et universae Medicinae Institutiones docuistis, gratum meum obtestari animum pro tot tantisque, quibus me meaque studia cumulastis, beneficiis, et quorum grata recordatio nunquam in meo animo peritura est. Vos V. V. C. C. propitium Numen in literarum, scientiarum et universae rei medicae commoda et gloriam ad seram, omnique parte beatam, senectutem servet incolumes!

Mea fert pietas etiam tibi doctissimo et expertissimo viro à ROY *gratias agere pro tuâ erga me benevolentiâ; quoties enim petii, liberum mihi concessisti ad immensam tuam Bibliothecam aditum. Accipe haec publica grati animi testimonia, quibus mea vota pro salute tuâ, quae est aegrorum salus, lubens adjungo.*

Vos etiam commilitones carissimi! non sine animi commotione, praeteriti temporis memor, saluto, tum eos, qui jam ante aliquod tempus curriculum Academicum absolvistis et variis locis doctrinae et peritiae vestrae, hac in Academiâ conquisitae, documenta praeclara praestatis, quos inter multi fuerunt mihi tum ob studiorum aequalitatem, tum ob morum similitudinem carissimi, amicitiae vestrae, quondam mihi praestitae, testimonia laetus recordor; jam vero ipse profecturus ab iis, quos adhuc praesentes conspicio, in quibus etiam amicos integer-

ri-

rimos, me divelli sentio et sic hodie, quamquam maxima laetandi causa mihi contigerit, etiam Horatii dicti veritatem expertus sum:

„ Nihil est ab omni
Parte beatum."

Vivite felices, mei memores!

Laboris mei tenuitatis probe conscius, Benevoli Lectores! qui opusculi academici conscribendi necessitatem nostis, vestrae et facilitati in judicando, et benevolentiae in erroribus condonandis me totum trado; Valete.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

QUIBUSDAM SECTIS ANTIQUIORIS ET RECENTIORIS AEVI.

SECTIO PRIMA

CONTINENS OPINIONES ET PLACITA SECTAE DOGMATICORUM, METHODICORUM ET PNEUMATICORUM.

CAPUT I.

OPINIONES ET PLACITA DOGMATICORUM.

§. 1. Nihil sine causâ; verumtamen raro tam efficaciter causa operatur, ut statim sensibilis effectus sequatur, et saepe, sicut semen in terrâ reconditum, quoddam temporis spatium requirit, ut tale evadat, quale causae effectus postulat; sic tandem fit surculus arbor.

Haec etiam Medicina experta est; multae enim in eam irrepserunt formae mutationes, quae, sensim introductae, suos habuerunt fautores, sed etiam adversarios, et ex eo dissensu sectae vel scholae ortae sunt.

Sic etiam secta *Dogmatica* nata est, non enim Hippocratis filii, qui hujus sectae auctores habentur, Disciplinae mutationem animo intendisse videntur, sed inscii, quot quantaeque dissensiones ex suis principiis aliquando in re medicâ ortae forent, nimis philosophandi studio inhaerebant, nec, naturae observatione, interpretatione, et imitatione Hippocraticae acquiescentes, prima fundamenta ponebant sectae, quae nobis tradita est sub nomine *Rationalis*, *Dogmaticae*, *Analogisticae* (1).

§. 2. Medici Dogmatici i. e. qui ratione nituntur, priscâ medicinae definitione acceptâ, salubrium et insalubrium scientiam (2) cognoscere studebant, et generale eorum videtur fuisse praeceptum illud „ *ὅσα τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται* " (3) minoris ponderis experientiam habentium.

Necessarium igitur habebant Medici hi rationales Anatomiae, Physiologiae, Pathologiae et Therapeutices studium nec Semeiotiam prorsus neglexisse videntur.

Vix opus esse puto, ut moneam, me in opinionibus et placitis Dogmaticorum enarrandis, brevitati studere debuisse, et e pluribus pauca tantum memoras-

(1) Galenus *de Sect. c.* 1. *p.* 286. *t.* 2. *edit. Chart. Lutet. Paris.* 1679.

(2) Sic definiebant veteres Medicinam. Gal. *l. c.*

(3) Nullum enim dubium, quin liber *de natura humana*, qui Hippocrati adscibitur et haec verba continet, spurius sit, cujus auctor videtur fuisse Polybus, Hippocratis gener. Conf. Gruner *Censur. libr.* Hippocr. *p.* 99. et Sprengel. *Pragmat. Gesch.* 1. *Th. p.* 269. *Halle* 1792.

rasse, cum meo consilio minus consentaneum videretur, omnium theoriarum et dogmatum recensionem tradere, (praeterquam quod hîc loci minus conveniat, etiam difficile opus) quam quidem talia referre, quae sufficere videntur ad Dogmaticorum mentem intelligendam et explicandam.

§. 3. Ii, monente Celso (4), qui rationalem Medicinam profitentur, haec necessaria esse proponunt: „ abditarum et morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium, post haec etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum. *Abditas causas* vocant, in quibus requiritur, ex quibus principiis nostra corpora sint, quid secundam, quid adversam valetudinem faciat. — Neque vero inficiantur, experimenta quoque esse necessaria; sed ne ad haec quidem aditum fieri posse, nisi ab aliquâ ratione, contendunt. — *Evidentes* eas appellant, in quibus quaerunt, initium morbi calor attulerit, an frigus; fames, an satietas; et quae similia sunt. — *Naturales* corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus et emittimus; cibum potionemque et assumimus et concoquimus: itemque, per quas eadem haec in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam, quare venae nostrae modo submittant se, modo attollant; quae ratio somni, quae vigiliae sit: sine quarum notitia neminem putant vel occurrere, vel mederi morbis inter haec nascentibus posse. — Praeter haec, cum in interioribus partibus et dolores et morborum varia genera nascantur, neminem putant his adhibere posse reme-

(4) *Lib.* I. *p.* 3. *seq. Lugd. Bat.* 1785. 4°.

media, qui ipsas ignoret. Necessarium ergo esse incidere corpora mortuorum eorumque viscera, atque intestina scrutari." — Hisce autem quaedam subjungere liceat, ut et ipsius verba quodammodo explicemus, et nostro proposito satisfaciamus Dogmaticorum opiniones et placita exponentes.

§. 4. Primas partes in corpore humano agere humores docebant *Dogmatici*, magna vero inter illos fuit dissensio de horum humorum speciebus; hic enim duos tantum numerabat humores, ille vero quatuor (5), tertius denique plures (6); omnis vero de humoribus cardinalibus opinionum diversitas redit ad calidum, frigidum, humidum et siccum i. e. sanguinem, pituitam, bilem utramque, flavam ac atram, quae hominum elementa a communibus omnium rerum elementis deduxisse fertur Hippocrates (7), qui vero inprimis ad suum *ἔμφυτον θερμὸν* (calidum innatum) spectasse videtur (8).

Multa praeterea sunt, quae ab iis proponuntur de fluxionibus a capite, tribus conspicuis in aures, nares, et oculos, quatuor abditis in thoracem iisque fre-

(5) Vid. (*lib.* Hippocrati adscript.) *de morb.* I. *c.* 2. *p.* 532. *l. c.* IV. *c.* 1. *p.* 5,6. *t.* IV. Conf. quae proponit Gruner (*cens. libr.* Hippocr. *p.* 152. *Uristalav.* 1773. 8°.) de hisce libris critica.

(6) Ruffus *Ephes. de appell. part. corp. hum. l.* 1. *c.* 36. *p.* 112. Conf. Sprengel *Pragm. Gesch. d. Arzneik. t.* 1. *p.* 206. *Halle* 1792.

(7) Gal. *de Element.* ex Hipp. *l.* 2. *c.* 1. *p.* 26. Conf. Sprengel *l. c. p.* 239. qui quidem dubitat, an haec de Hipp. vera sint.

(8) Hipp. I. *Aph.* 14. Conf. A. Kaauw Boerhaave impetum faciens, dictum Hippocr. *Amst.* 1744. 8°.

frequentioribus, unde bilis, lassitudo, empyema, tabes; in spinalem medullam, unde aliae tabis species; in vertebras et carnes, unde hydrops; in articulos, unde arthritides et oedemata (9).

Non minus diversae sunt, quas habent Dogmatici opiniones de spiritu vel flatu; statuentes enim praeter solida et fluida corpus constare ex spiritu, qui cum cibo et potu inter alimenta referebatur, nonnulli fuerunt, qui morbos omnes istius sobolem esse demonstrare conati sunt (10).

§. 5. Naturales autem respicientes actiones varia etiam proposuerunt *Dogmatici* placita, sic v g. de respirationis usu variae fuerunt veterum opiniones, cum alii cuidam animae corroborationi, alii refrigerationi innati caloris, alii denique arteriarum expletioni inservire, perhiberent (11).

Sic etiam hi non minus inter se dissentiunt de modo, quo digestio perficiatur.

Nonnulli autem dicebant inter nutritionem partium animalium et plantarum quandam intercedere analogiam, contendentes ventriculum esse omnium humorum fontem, e quo singula corporis pars similem sibi attrahit humorem, ita ut cor sanguinis fons evadat, caput pituitae, lien aquae, jecur bilis; in omnibus enim cibis ac potibus et biliosi aliquid et a-

(9) Hipp. *lib. de glandul. c.* 5. *p.* 274. *seq. t.* IV. *lib. de locis in homine c.* 5. *p.* 362. *t.* VII. Gruner. *l. c. p.* 114. *seq.*

(10) Hipp. *lib. de Flat. c.* 3. *p.* 214. *seq. t.* VI. Ejusmodi opiniones Sectam Pneumaticam gignisse videntur.

(11) Gal. *de usu resp. lib. legit. c.* 1. *p.* 413. *seq. t.* V.

aquosi et sanguinei et pituitosi inesse, plus minusve in hoc vel illo statuebant (12), alii vero cibum in ventre teri vel putrescere (13), alii, ut fert Galenus (14), demonstrarunt, alimentum ab innato calore alterari, sanguinem quidem a mediocri calore fieri, reliquos vero succos ab eodem immodico.

Supra vidimus nonnullos fuisse auctores, qui statuerint arteriarum expletionis gratiâ obtinere respirationem, iidem autem perhibent, ab hac arteriarum expletione i. e. ab influenti spiritu pulsum explicandum esse (15), dum dein pulsus, distinctione inter venas et arterias factâ, peculiaris vocaretur arteriarum motus (16), nec dubium, quin partium corporum animalium dissectio multum praestiterit in formandis placitis (quo certe, ut passim supra vidimus, non parum contulerunt (17) variae Philosophorum scholae) et novas opiniones obsoletis substituendo.

§. 6. Dogmaticorum erat anatomen *artificialem* instituere, teste Galeno (18), sed facillime ex placi-

(12) Hipp. *lib. de morb. l.* 4. *c.* 1. *p.* 597. *t.* VII.

(13) Cels. *l. c. p.* 5.

(14) *De nat. facult. l.* 2. *c.* 8. *p.* 47. *t.* V.

(15) Gal. *an in art. sanguis natur. contin. libr. c.* 8. *p.* 163. *seq. t.* III.

(16) Sprengel. *l. c. p.* 364. *seq.* Gal. *de puls. differ. l.* 4. *c.* 1. *p.* 81. *t.* VII. et de Hipp. et Plat. *placit. l.* 8. *c.* 7. *p.* 197. *t.* V.

(17) Sic etiam inter alia Aristoteles somni naturam explicare conatus est. Vid. *de somn. et vigil. p.* 185. *seq.* Conf. Sprengel *l. c. p.* 269.

(18) *Definit. Med.* 34. *p.* 236. *t.* II. illam dissectionem fieri dicit κατ' ἐπιτήδευσιν, ut ei opponatur, quae fiebat κατὰ περίπτωσιν.

citis priorum Dogmaticorum patet, eos, primis saltem suae sectae temporibus, parumper modo eam exercuisse, ita ut potius ad alteram speciem pertineret, fortuitam scilicet, quae κατὰ περίπτωσιν fieri fertur, cujusmodi Anatomiam habebant Emperici. Rudiorem certe anatomiae scientiam demonstrant, quae nobis reliquit antiquitas (19), tradens origiginem et cursum quatuor parium venarum, quae in corpore invenirentur. Diocles Carystius vero, qui, teste Plinio (20), post Hippocratem secundus aetate famâque exstitit, sedulam dedit Anatomiae operam, ita quidem, ut eam artificialiter exercuisse, et animalia secasse videatur (21). Postea plures de Anatomiâ bene meriti sunt, inter quos referuntur Praxagoras (22), Aristoteles (23), et inprimis Hirophilus et Erasistratus (24).

Plurimum enim medicorum interesse justam partium cognitionem intelligebant Dogmatici, ut iis laborantibus facilius et certius possent afferre levamen (25).

CA-

(19) Hipp. *adscript. libr. de natur. hom.* VI. *p.* 135. cujus libri Auctor verus dicitur ab Aristotele (*Hist. anim. l.* 3. *p.* 265.) Polybus. Conf. Sprengel *l. c. p.* 269. et Gruner. *l. c. p.* 100.

(20) *Nat. Hist. l.* 26. *c.* 2. *p.* 444. *t.* IV. *Paris* 1585. 4°. Conf. *in h. l.* Cels. *l. c. p.* 3.

(21) Galen. *de Anat. administr. l.* 2. *c.* 1. *p.* 47. *t.* IV.

(22) Sprengel *l. c. p.* 363. *seq.* le Clerq *Hist. de la Med. p.* 283. *seq. à la Haye* 1729. 4°.

(23) Sprengel. *l. c. p.* 320. *seq.* le Clerq *l. c. p.* 270. *seq.*

(24) Cels. *l. c. p.* 5. 6. Sprengel. *l. c. p.* 376. et le Clerq. *l. c. p.* 296. *seq.*

(25) Gal. *de Anat. administr. l.* 2. *c.* 2. *p.* 47 *et* 48.

CAPUT II.

OPINIONES ET PLACITA METHODICORUM.

§. 1. Quo tempore Romani, fere totius terrarum orbis domini, ferro ignique regiones devastantes in Provinciae formam eas redigebant, et omnem Reip. salutem in armis ponebant, scientias sine cultu jacuisse et corporis robur mentis vigore praevaluisse (1), non est, quod miremur. Tunc temporis Romae medicinam Asclepiades faciebat (2), cujus morborum curandi methodus civibus satis placebat, dicebat enim, teste Celso (3), medicum oportere curare aegros tuto, celeriter et jucunde, taliaque jactantem spes non fefellit, ut ejusmodi promissis animos ad se traheret, et famae consuleret.

Illi autem, Democriti et Epicuri sententias amplectenti (4), placebat theorema atomorum, sive molecularum (5) omnia, quae oculis se offerunt, compo-

(1) Cicero *Disput. Tuscul. l.* 1. *c.* 1. dicit: Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat: in quo erat facile vincere non repugnantis.

(2) C. A. Kortum *Skizze ein. Zeit- und Litterar gesch. d. Arneik.* §. 37. *p.* 63. *Unna* 1809. 8°.

(3) *De Medic. l.* 3. *c.* 4. *p.* 93.

(4) J. C. G. Ackermann *Inst. hist. med.* §. 184. *p.* 152. *seq. Norimb.* 1792. 8°.

(5) Gal. *de Theriac. ad Pison. c.* 11.

ponentium (6). Varietas autem formae rerum naturalium secundum hanc theoriam solummodo pendet a figurâ et formâ, quae simplicibus atomis pro variâ relatione et proportione singulis corporibus competunt (7). Jam vero e sententiâ Asclepiadis sana conditio corporis pendet ab apto motu, formâ et figurâ, qualis conditio in morbosam transit, simulac contrarium obtinet (8). Hinc omnes morbos a locorum aut viarum, per quae corpuscula manant, differentiâ deduxit (9).

§. 2. Huic Asclepiadis dogmatici theoriae mechanicae (10) innititur omnis doctrina sectae methodicae, quae a Dogmaticorum sophisticis explicationibus, nec minus ab Empiricorum simplici observatione aliena (11), medium tenere conabatur, constituens strictum, laxum et mixtum (12), quae Communia vel Communitates morborum appellabantur, et petebantur ab *Evidenti*, cuilibet morbo communi (13). Omnes vero Methodici minime inter se conveniunt de ratione hujus *Evidentis* cognoscendi; alii enim illud in habitu corporis externo, stricto vel

(6) *Idem de Facult. Nat. l.* 1. *c.* 12.

(7) K. Lutheritz. *d. Syst. d. Aerzte von* Hipp. bis Brown *dahrgestelt. t.* I. *p.* 157. *seq. Dresden* 1810. 8°.

(8) *l. c. p.* 160.

(9) Ackermann *l. c.* §. 193. *p.* 137.

(10) Blumenbach *Introd.* §. 57. J. D. Metzger *Skizze ein. Pragm. Literärgesch. d. Medic.* §. 79. *p.* 65. *Koningsberg.* 1792. 8°.

(11) Gal. *Introd. c.* 3. *p.* 368. *t.* II.

(12) Gal. *Meth. Med. l.* 1. *c.* 3. *p.* 7. *t.* X.

(13) Gal. *l. c. p.* 69.

vel laxo (14), quod alii in adstricto et fluente, respicientes ad aegrorum excretiones, ponebant (15). Sic itaque Methodici, observantes ejusmodi Communia, quae ex evidentibus in corpore aegroto conficiebant, morbi potius symptomata, quae ipsum morbum curabant (16), quo fiebat, ut solummodo ad solida non vero ad fluida respicerent (17).

Illis autem Communibus curativis subordinatae erant communitates temporales (*καιρικαι*), quas a tempore desumebant Methodici, respicientes ad numerum trium dierum i. e. *διατριτου* (18), unde nomen Diatritarii, ipsis impositum, repetendum est (19), at vero alios communitas temporalis ea docere videtur, quae peragenda sunt in initio, incremento, vigore et declinatione morborum (20). Illi autem per generales regulas constituebant, qualis potus, quale alimentum et qualia medicamenta diverso morbi tempori convenirent (21). Hac in re illos Hippocratem secutos esse false perhibent Methodici (22), di-

(14) Gal. *de Opt. Sect. c.* 48. *p.* 337. *t.* II.

(15) Cels. *l. c. p.* 12. Gal. *de Opt. Sect. c.* 9. *p.* 295. *et c.* 48. *p.* 337.

(16) J. C. Nicolai *das Merkwürdigst. a. d. Gesch. d. Med. p.* 182. *Rudolst.* 1808. 8°.

(17) Leopoldt. *l. c. p.* 85.

(18) Cael. Aurel. *Morb. Chr. l.* 2. *c.* 3. *p.* 122. Conf. Ackermann *in Archiv. f. d. Gesch. d. Arzneik. von* P. L. Wittwer 1 *Bd.* 1 *st. p.* 39. *Nürnberg* 1790. 8°.

(19) Le Clerq *l. c. p.* 451.

(20) Gal. *Introd. c.* 3. *p.* 362. Ackermann *l. c.* §. 223. *p.* 157. Sprengel *l. c. t.* II. *p.* 30.

(21) Gal. *de Opt. Sect. c.* 44 *et* 45. *p.* 334. *seq.* et *Meth. Med. l.* 4. *c.* 4. *p.* 86.

(22) Ackermann. *l. c.* §. 224. *p.* 158.

dicit nimirum Galenus (23) Hippocratem fefellisse Thessalum his verbis: „ quum morbus viget, tunc etiam tenuissimo victu uti necesse est" (24) nam in diaeticis et pharmaceuticis praeceptis non a certo morbi tempore indicationem petebat, sed quidem inprimis ab aegroti viribus (25).

Praeter memoratas communitates (quas solummodo ad unam medicinae partem, quae morbos internos curabat, pertinere intelligebant) etiam mentio fit apud Methodicos de communitatibus Chirurgicis, quae ad alteram medicinae partem, quae manu opem fert, pertinerent. Jam vero, ut etiam sua placita in partem Chirurgicam deducerent, nova in morbis communia excogitârunt (26), quae spectabat sequentia momenta: (27)

Duplex est alienum vel extrinsecus vel in corpore. Quod extrinsecus est, simplex ut spiculum, telum; illius vero, quod in corpore est, tres numerantur species.

1.) Loco alienum *τῷ τόπῳ ἀλλότριον*, ut suffusio, luxatio cet.

2.) Magnitudine alienum *τῷ μεγέθει ἀλλότριον*, ut abscessus cet.

3.) Defectu alienum *τῇ ἐλλείψει ἀλλότριον*, ut fistulae, sinus cet.

Sic, ut notat Leopoldt (28), haec secta, quum perciperet suas communitates non omnes comprehen-

(23) *De Opt. Sect. c.* 39. *p.* 332.
(24) Hipp. *Aph.* 7. *Sect.* 1.
(25) *Aph.* 2. 17. 23 et 25. *Sect.* 1. *Vict. acut.* LII. 8. 9.
(26) Ackermann *l. c.* §. 222. *p.* 156.
(27) Gal. *Introd. c.* 3. *p.* 362.
(28) *l. c.*

hendere morbos, triplici illi Communium generi Chirurgicas addebant, quibus sui systematis defectui consulere studebant.

Denique etiam memoratur communitas prophylactica (29) sive praeservatrix, quae morbis prospiceret a quodam veneno ortis, quam admittentes a suis principiis discessisse videntur Methodici, cum, ubi eâ utebantur, non respicerent ad strictum, laxum vel mixtum ab evidenti petitum, sed a quâdam causâ indicationem desumerent, *Evidens* cum Dogmaticorum *abditis* mutantes.

§. 4. Peculiarem morbos tractandi methodum secuti sunt Methodici ad certum dierum numerum respicientes i. e. ad diatriton, de quo supra jam verbo monuimus et cujus originem a principiis philosophicis Pythagorae repetendam esse conjecit Ackermann (30). Hîc occurrit inter Methodicos de ipsâ hac diatrito dissensus, cum nonnulli eam tribus diebus continere statuerent, alii vero alternis.

Quaestio autem erat apud medicos, qui cibum opportune datum habebant pro optimo remedio, quando primo dari debeat (31). Primâ diatrito in qualicunque morbo ab omni cibo et potu abstinendum esse praeceperunt Methodici, Asclepiadem secuti. Themison vero phreneticos primâ diatrito nutriendos esse censuit (32), unde patet, quod hac in re Methodici etiam minime inter se conveniant. (33)

§.

(29) Gal. *l. c.*

(30) In Wittwer's *Arch. l. c. p.* 47.

(31) Cels. *l.* 3. *c.* 4. *p.* 94. *seq.* ubi dicit etiam Auctor „minime — perpetuum esse praeceptum temporis potest."

(32) Cael. Aurel. *Acut. Morb. l.* 1. *c.* 16. *p.* 67. illud dicit A. improprium tempori.

(33) Ackermann *Inst.* §. 228. *p.* 161.

§. 5. Verosimile est, quod nonnulli auctores notant (34), communitatem temporalem ansam dedisse Cyclis methodicorum, quo referuntur *Cyclus resumtivus* et *metasyncriticus*.

Cyclus autem resumtivus ἀναληπτικος corpori per diaetam robur, si indigebat, vel saltem quandam praeparationem, ut ita dicam, ad majora afferre debebat, quibus ipsi corpori opus esse arbitrabantur Methodici, ut curam metasyncriticam bono cum eventu instituere possent.

Sequentia, quae hunc cyclum resumtivum spectant, tradit Caelius (35): „ex mediae qualitatis materia (36) *primus* ordinandus est cyclus, dehinc ex volantum *secundus*: tunc ex *agrestium tertius*, atque ex *porcinis ultimus*, in quibus ordinandis non facere licet repentinas mutationes (37). Utendum praeterea nunc aquae potu nunc vini — deinde veniendum ad recorporativae curationis materiam, latenti motu adhibitâ Drimyphagiâ (38)."

Facile inde confici potest, cyclum resumptivum, in quo interdum etiam motus et inunctiones non negligebantur (39), parum modo differre a metasyncritico (utriusque enim scopus erat pororum mutatio-

(34) Idem *l. c.* §. 224. *p.* 158.

(35) *Morb. Chr. l.* 2. *c.* 13. *p.* 183. *seq.*

(36) Per eam intelligit A. quae est levioris succi et a Graecis μέση ὕλη vocatur conf. *l. c. p.* 12.

(37) Cael. *l. c. p.* 183.

(38) Den Senf, den Pfeffer, die meerzwiebeln, und andere scharfe Mittel wandte man gröstentheils an, um diese metasynkrise zu bewirken, und nannte diese methode die Drimyphagie. Spreng. *l. c. t.* II. *p.* 33.

(39) Cael. *l. c. c.* 1. *p.* 12. *seq.*

tionem, suis atomis convenientem, inducere, quam μέταποροποίησιν Galenus vocat (40),) quae differentia solum existere videtur in majori virium remediorum metasyncriticorum gradu.

Sinapi hunc in finem inprimis uti solebant methodici (41), laudatur etiam Thaspia, cujus radix et liquor omnium maxime, quae pares cum iis vires sortita sunt, metasyncriticâ vi pollent (42). Praeterea huc pertinent Napy, Pyrethrum, Capparidos radix (43). Hoc autem cyclo perfecto, ait Caelius (44), „ erit alius adhibendus solo ex vomitu, detractâ drimyphagiâ: in quo oportet prima die in parvo cibo et aquae potu aegrotantem servare; tum alia die deambulatione motum vomitum exagitari ex radicibus Raphani similibusve."

Eodem redire videtur haec curandi methodus i. e. per hunc cyclum vomitorium, quo hodie cura nauseosa spectat (45), quâ saepius in corpore aegroto salutares producuntur effectus. Praeterea etiam nonnunquam in usum vocabant Methodici localia adjutoria, sicut παρόπτησιν, (adassationem) dropacem, alia (46), sed in illorum applicatione temporis rationem habendam esse monet Aurelianus, ita ut tempo-

(40) *Meth. Med. l.* 4. *c.* 4. *p.* 91. *seq.*

(41) „ Sinapi chronicas passiones quadam corporis novatione excludit," ait Cael. Aurel. *Acut. Morb. l.* 2. *c.* 9. *p.* 100.

(42) P. Dioscorid. *de Med. Mat. l.* IV. *c.* 157. *p.* 303. *edit. Saraceni Lugd.* 1598. *fol.* C. Plinii Secund. *Nat. hist. t.* 3. *l.* 13. *c.* 43. *Paris* 1584. 4to.

(43) Gal. *de Simpl. Med. Facult. l. c.*

(44) *Morb. Chr. l.* 1. *c.* 1. *p.* 15.

(45) Sprengel. *l. c. p.* 32. *seq.*

(46) Cael. *l. c. p.* 19.

pore, quo drimyphagiâ utimur, omne locale adjutorium prohibendum sit (47), ne eodem tempore superficies cum altioribus (i. e. visceribus) agitetur. Alibi etiam dicit auctor, quod ad cibi abstinentiam attinet, eam adhibendum esse, permittentibus viribus, usque ad tertiam diem, non ad relaxanda corpora, sed quo altiora, quorum est officium accepta digerere, immobilia perseverent.

§. 6. Talis autem fuit Methodicorum morbos chronicos curandi methodus, in acutis vero, ubi adstrictum erat, solvendum esse corpus putabant, ubi fluens, retenendum, a quacunque causâ generata sit utraque corporis conditio. Rationem anni tempestatum, aetatum et locorum supervacuam habebant (48), notitiamque communitatum sufficere, quae tantummodo communem et generalem hominem curari sinebat (49), minime igitur mirandum, Methodicos, quos Galenus *ἀμέθωδους* appellat (50), eum increpare, qui vitam brevem esse, longam vero artem dicit, contrarium enim ipsi contendebant, artem nempe esse brevem, vitam vero longam (51).

(47) *l. c. p.* 22.
(48) Gal. *de Sect. c.* 6 *et* 7. *p.* 291. *seq.*
(49) Gal. *Meth. Med. l.* 3. *c.* 7. *p.* 69.
(50) *l. c.*
(51) Gal. *de Sect. p.* 292.

CA-

CAPUT III.

OPINIONES ET PLACITA SECTAE PNEUMATICORUM.

§. 1. A methodicorum sectâ ortum duxisse Pneumaticam nonnulli perhibent auctores (1), alii vero ejus originem a Dogmaticis repetunt (2), et quidem, uti mihi videtur, cum majori jure, illorum enim principia non sinebant abditarum causarum indagationem, quarum investigationi et explicationi studebant Dogmatici.

Pneumaticae autem scholae auctor habetur Attenäus (3), qui prima hujus sectae fundamenta jecisse fertur. Neglectis enim, quae docuerant Methodici de atomorum syncrisibus, eorumque relatione ad spatiolas, quas implere debent, similem Dogmaticorum praeferebat doctrinam de quodam pneumate, quod primas ageret in oeconomiâ animali partes, et cujus spiritus, vitalitatem spirans, plurimorum morborum esset fons, ipsius turbatâ actione (4). Aretäus

(1) Le Clerq. *Hist. de la Med. P.* 11. *L.* 4. *Sect.* 2. *c.* 3. *p.* 506. — Kortum *Skizze ein. Zeit-und Litterargeschicht d. Arzneik.* §. 43. *p.* 67. *seq. Unna.* 1809. 8°.

(2) Osterhausen *Histor. Sect. Med. Pneumat.* §. 14. *p.* 75. *seq. Altorf.* 1791. 8°. — Ackermann. *Inst. Hist. Medic.* §. 233. *p.* 164. *seqq. Norimb.* 1792. 8°.

(3) Sprengel. *Pragm. Gesch. t.* 2. *p.* 95. *seq.* — J. C. Barchusen. *Histor. Medic. p.* 266. *Amstel.* 1710. 8°. Osterhausen *l. c. p.* 15. *seq.*

(4) Galen. *Introd. p.* 373.

taus Cappadox etiam hujus sectae fautor fuisse dicitur (5), licet alii eum ad Eclecticos referre malint (6).

§. 2. Stoïcorum placitis innititur Pneumaticorum doctrina. Stoici enim statuebant, teste Diogene Laërtio (7), ignem quemdam artificiosum (8) creasse mundum, eumque conservare, materiae inclusum atque immixtum. Hinc autem, quae vulgo statuebantur, elementorum origo; ignis enim substantiam per aërem versam in humorem transiisse, crassiorem ejus partem atque consistentem mutatam esse in terram, subtiliorem versam in aërem, subtilissimam autem ignem evasisse docebant (9). Hic autem spiritus igneus (πνεῦμα πυροειδές), ipse intelligens et sapiens (10) animam mundi (11) constituit et omnibus, quae vivunt, quae aluntur, quae crescunt, hominibus, animantibus, plantis cet. (12) ma-

(5) Kortum. *l. c.*

(6) Sprengel. *l. c. p.* 110. Videtur mihi sat validis argumentis Osterhausen probasse non ad Pneumaticorum sectam referendum esse Aretäum, ei vero lubenter assentimur dicenti: „Sin — ille Pneumaticorum doctrinis favit, huic Sectae non est dedecori habuisse inter suos virum, qui omni jure inter optimos antiquitatis medicos est recensendus." Vid. *l. c. p.* 83.

(7) *Lib.* VII. *de Vit. Philos. Segm.* 156.

(8) Cic. *lib.* 2. *de Nat. Deor. c.* 22. „Non quod is ignis arte quadam procreatus sit, sed ob vim omnia progignendi ac conservandi, artificiosum illum nominabant."

(9) Diog. Laërt. *l. c. Segm.* 142. Conf. Osterhausen *l. c. p.* 38.

(10) Cicer. *l. c. cap.* 8.

(11) *Idem l. c. c.* 12.

(12) *Idem l. c. c.* 9.

majori minorive copiâ insitus est, cum quaedam minus uti ossa et nervi, quaedam magis, uti mens velut per principatum (ὥς διὰ τὸν ἡγεμονικὸν) (13), illius influxu fruantur. Variae autem de hujus animae sede prostant sententiae, cum nonnulli eam in aethere (14), alii in coelo, alii in sole, alii denique in terrâ habitare contendant (15). Hoc autem spiritu in corpore humano recte constituto, sanitatem adesse, offenso vero morbos nasci putabant Pneumatici (16), Stoïcorum placita secuti (17).

§. 3. Huic autem spiritui addebant Pneumatici suam elementorum doctrinam, in eo ab aliis discedentes, quod pro elementis haberent, quae Stoïci vocabant eorum qualitates; statuebant nimirum calidum et frigidum, humidum et siccum esse elementa, idque tam clare posse perspici, ut nullam demonstrationem exposcant (18); notandum videtur, quod Galenus refert (19), Athenäum ea elementa etiam nonnunquam vocasse qualitates ac potestates, nonnunquam corpora esse concessisse. Forsan hoc solvitur dubium doctrinae Athenäi a Galeno propositum, si ad distinctionem attendamus, quam inter elementa fecit statuens: ex his (elementis) duo esse *causas efficientes* (τὰ ποιήτικὰ ἄιτια), pu-

(13) Diog. Laert. *l. c. Segm.* 138. Cicero *l. c.*

(14) Anima erat iis particula animae mundi, quae in aethere sedem habebat, Tiedemann's *Geist. d. Speculat. Philos. t.* 1. *p.* 131.

(15) Osterhausen *l. c. p.* 41.

(16) Ackermann. *l. c.* §. 237. *p.* 167.

(17) Sprengel. *l. c. p.* 92.

(18) Galen. *l.* 1. *de Element. c.* VI. *p.* 15.

(19) *l. c.*

puta calidum et frigidum; duo *materialia* (τὰ ὑλικὰ) siccum nempe et humidum.

§. 4. Sequentia proponit Athenäus de conceptionis modo: putat, ut ii, (Stoïci) ait Seneca (20), in semine omnis futuri hominis rationem comprehensam esse, et legem barbae et canorum nondum natum infantem habere; totius enim corporis et sequentis aetatis in parvo occultoque lineamenta esse, omnia certâ lege evolvi. Menstrua autem secundum illius sententiam continent materiam futuri embryonis et semen virile, pneumatos ope, vi gaudet formatrice (21). Athenäus autem tantum ob symmetriam mulieribus testes (ovaria) esse putavit, sicuti viris mammas (22). Quae Aristoteles de conceptione memorat (23), aliorumque sententiae (24) huic conveniunt placito.

Animum, quem ignem, aut spiritum calidum esse putabant (25), Stoïci, quorum decreta inprimis placebant medicis (26), subtiliter dividebant in orto partes: quinque scilicet, quibus sentimus; sexta, quâ prolem procreamus; septima, quâ vo-

(20) *Quaest. Natur. l.* 3. *c.* 29.

(21) Spreng. *l. c. t.* 1. *p.* 489.

(22) Galen. *l.* 2. *de Semine c.* 1.

(23) *De Animal. Generat. c.* 19 *et* 20. Conf. Gal. *l. c. c.* 2.

(24) Sic fertur de Hippione et Sphaero, Stoïcis, eos statuisse, semen quidem mulieribus esse, sed infoecundum, et patris tantummodo semine partum nasci. Conf. Osterhausen. *l. c. p.* 47.

(25) Diogen. Laërt. *l. c. l.* 7 *et* 8. *Segm.* 156. — Cicero *lib. Ac. Quaest. c.* XI.

(26) Gal. *l.* 3. *de diff. puls. c.* 1.

vocem emittimus; octava, quâ cogitamus seu ἡγεμονικόν (27), vel ea pars, in quâ imaginationes appetitusque gignuntur, quae in corde est (28). Ceterae autem animi partes ab hac principe, quâ cogitamus, emissae per totum corpus diffunduntur; hinc ad visum est spiritus visui destinatus (πνεῦμα ὁρατικὸν) qui a principe facultate (ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ) usque ad pupillam tendit (29).

§. 5. Athenäus autem, Aristotelem secutus, amplectebatur, uti vidimus, elementorum theoriam, quibus aetherem sive pneuma addebat, (30) attendebat enim non solum ad elementorum crasin, sed etiam ad spiritum, omnes corporis partes penetrantem, a quo omnia contineantur et gubernentur. (31). Facile patet eos ad elementorum mixtionem respexisse, deducebant enim Pneumatici a calido et sicco morbos acutos, ab humido et frigido collectiones phlegmaticas, et melancholiam a frigido et sicco, cum craseos statum calidum, humido junctum, sanitati maxime esse amicum statuerent. (32) Omnem febrem ex humorum putredine oriri Pneumaticorum dogma erat. (33) Characteristicum omnium febrium signum pul-

(27) Cic. *l.* II. *de Nat. Deor. c.* XI.

(28) Diog. Laërt. *l. c. Segm.* 157 *et* 158. Memorabilis quidem videtur Pythagorica animae distinctio, cujus altera (φρένες) in cerebro, altera (θυμός) in corde habitaret. Plutarch. *Phys. Philos. decret. l.* 4. *c.* 14. *p.* 83

(29) Galen. *de Hist. Philos. c.* 25. *p.* 47. *t.* II.

(30) Sprengel. *l. c. t.* 2. *p.* 96.

(31) Gal. *Introd. c.* 9. *p.* 368. *t.* II.

(32) Sprengel. *l. c. p.* 94.

(33) *Gal. de Differ. feb. c.* 5. *p.* 111. *t.* VII.

pulsum durum dicebat Archigenes; (34) pulsus enim signa diagnostica subtiliter et acute perscrutabantur Pneumatici, maxime quidem inter se dissentientes de pulsûs definitione. (35).

Uti pulsuum, sic etiam dolorum, varias statuit Archigenes differentias et quidem hanc ob causam, ut tradit Galenus, (36) quod ex iis conficere posse putabat, quaenam partes corporis morbo laborarent.

§. 6. Ne limites mihi propositos transgrederer, memorata Pneumaticae doctrinae momenta leviter attingere debui, quae tamen meo scopo sufficere existimo. Vidimus igitur de quibusdam placitis et opinionibus eorum, qui, ut dicit Osterhausen, (37) primo principium quoddam, ratione particeps, et in sano corporis statu, et in morbiso actuosum, posuerunt, licet eidem auctori non assentiar dicenti: eos primos fuisse, qui quoddam philosophorum systema cum medicinâ conjungentes, naturae phaenomena, quae in corpore sano et a morbis affecto occurrere solent, doctrinis hujus philosophiae explicârunt. (38) Facile denique apparet e permultis placitis, unde petita sint, cum, ut Ciceronis verbis utar, „ stoicorum, non ignores, quam sit subtile, vel spinosum potius, disserendi genus." (39)

(34) *Idem l. c. l. 1. c. 9. p.* 119.
(35) Conf. Osterhausen *l. c. p.* 56. *seq.*
(36) *De loc. affect. cap.* 2. *p.* 401. *seq.*
(37) *l. c. p.* 72.
(38) Ni fallor eos antecedit Asclepiades atomisticus.
(39) *Lib.* 3. *de finib. cap.* 1.

SECTIO SECUNDA

CONTINENS OPINIONES ET PLACITA SECTAE IATRO-CHEMICORUM, IATRO-MATHEMATICORUM ET ANIMISTARUM.

CAPUT I.

OPINIONES ET PLACITA SECTAE IATRO-CHEMICORUM.

§. 1. Hujus sectae primordia ab Alchemistis repetenda videntur, qui sedulam operam navabant, ut praeparationibus suis Alchemisticis remedium detegerent, quo uno omnes corporis morbos solvere possent (1). Spem vero fefellit eventus, qui sacram illorum auri famem non explevit, verumtamen, ipsis velut insciis et nil tale molientibus, chemiae progressus extendit. Mox enim quaedam principia, corpus humanum constituentia, ab illis ex suâ theoriâ statuebantur, unde non parum frugis sibi in re medicâ proponebant inventores, (2) diaeteticâ vero posthabitâ indagationem causae et naturae mali negligebant. (3) Helmontius autem non, ut Paracelsus, tria principia chemica sal, sulphur et mercurium (4), pro ele-

(1) Boerhaave *Elem. Chem. t.* 1. *p.* 19. *edit.* Haller *Lugd. Bat.* 1732. 4°.
(2) Sprengel. *l. c. t.* 3. *p.* 370.
(3) Boerhaave *l. c.* et *Meth. Med. t.* 2. *p.* 848. *seq.*
(4) Kiezer *Syst. d. Medicin. Bd.* 1. *p.* 44.

elementis habebat, sed ex aquâ et fermento haec producta oriri dicebat; ille non solum ad materiem, illiusque mixtionem attendebat, sed inprimis ad quandam vim in organismum agentem, quam *archaeum* vocabat, sicuti Paracelsus (5).

Ex his postea Fr. de le Boe Sylvius quaedam suscepit et, Chemiâ in medicinam iterum inductâ (6), secundum praecepta chemica medicinam theoreticam et practicam tractabat (7), et haberi potest fundator medicinae Iatro-chemicae (saepius Sylvianae dictae), dubitari vero licet, an vera quidem sint, quae dicit Sylvius: (8) „ in dies proficio in naturalium rerum cognitione promovendâ, et quidem secundum fundamenta, quae mihi arbitror propria, postquam neminem novi, qui eadem sequatur, habeatve cet."

§. 2. Sylvii autem doctrina praecipue redit ad theoriam fermentationis, quo motu fermentativo chylificationem aliasque organismi operationes explicare conatur. Chylificationem e. g. fermentativum processum vocat (9) ob sequentes rationes.

1°. Cibi, salivâ imbuti, in ore jam signa fermentativae alterationis prae se ferunt, in ventriculo perficiendae.

2°. Pars alimentorum, per aliquot horas in ventriculo remanens, in materiam albicantem, rarescentem

(5) Sprengel. *l. c. p.* 317. *et t.* 4. *p.* 347.
(6) Boerhaave *Elem. Chem. t.* 1. *p.* 26.
(7) G. C. F. Kapp's *Syst. Darst. der durch die neuere Chemie in d. Heilk. bewirkt. veränder. und verbess. cet: p.* 4. *seq. Hof.* 1805.
(8) *Meth. Med. l.* II. *c.* 22. *p.* 129. *Amstel.* 1680. 4°.
(9) *Disput. Med.* 1. *p.* 12.

tem, ac tenacem convertitur, quae valde similis est massae panis fermentati.

3°. Alimentorum reliquiae, ventriculi tunicae interiori adhaerentes, et salivae deglutitione spumosiores factae, fermenti ope, assimilantur. (10).

Haec autem subjungit Sylvius: „ concurrunt ad alimentorum fermentationem in ventriculo rite subeundam: 1°. *Aqua* ex potu vel potulentâ ciborum parte, et et e salivâ petita. 2. *Ignis* moderatus a corde per arterias cum sanguine ventriculo communicatus, interne vel externe auctus. 3. *Liber halitibus* (11) *exitus*. 4. *Sal in salivâ latitans*. 5. *Pars salivae spirituosa*, sicut, ait auctor, docemur e spiritu vini aliis rebus fermentandis commode admixto. Chyli autem, vel, si mavelis secundum Sylvii theoriam, alimentorum partis purioris, in ventriculo fermentatorum, separationem a faecibus alvinis obtinere per effervescentiam credit Sylvius, quo suum conferunt bilis, et succus pancreaticus (12), nam in iis effervescentiae requisita reperiuntur, bile multum salis retorridi (qualem calcinatio diuturna exhibet) continente, accedente insuper pauco oleo, pauco spiritu volatili, paucâque aquâ, succo pancreatico, salivae valde simili, constante imprimis ex aquâ multâ paucoque sale ac spiritu."

Sic corporis humani functiones explicare solebat Sylvius, sectae Iatro-Chemicae princeps, qui ea, quae

(10) Dicit auctor (*l. c.*) in saliva primarias fermenti vires contineri.

(11) Halitus vocantur gazosa. Conf. Sprengel. *l. c. t.* 4. *p.* 391.

(12) Sylv. *Disp.* II. *p.* 14.

quae in vase chemico observabat, statim transferebat ad organismum animalem.

§. 3. Ubique fere laudat Sylvius experientiam, ita ut saepius repetat „ nihil in medicinâ vel naturalium rerum cognitione admittendum pro vero, nisi quod verum esse ostenderit, aut confirmârit per sensus externos experientia," (13) quâ re ea, quae medicam artem spectant, is facilius, secundum illius opinionem, comprehendet, qui illam cognitionem acquirere tentat per experimenta Anatomica, Practica et Chemica. Primus autem videtur Sylvius acritatis notionem eo sensu in artem medicam introduxisse, ut per illam intelligeret quoddam principium humorum praevalens, e quo omnes profluerent morbi (14), quare, duplici acritatis distinctione acceptâ i. e. spiritu acido et sale lixivioso (15), duplicem etiam morborum classem admittit, quos vel ad unam, vel ad alteram praedominantem humorum mixtionem referendos esse credebat. Dicit enim ipse Sylvius (1): „ qui — illustratam habet mentem, novitque, si non ex veterum recentiorumque monumentis, saltem me praeëunte, per ipsam experientiam, duo tantum reperiri et dari in rerum naturâ acria, et quidem sibi contraria, salsum lixivum et acidum; atque ab illis vel purioribus, vel minus puris, confluentibus aut junctis, excitari effervescentiam, et pugnam saepius cum calore, rarius cum frigore junctam, facile conci-

(13) Conf. *Disput.* IX. *p.* 41. et *Disput.* X. *p.* 47.
(14) Sprengel. *l. c. p.* 393.
(15) Sylv. *Disp.* VIII. *p.* 40.
(16) *Prax. Med. Append. Tract.* 1. *c.* 8. *p.* 615.

cipiet in affectu alterutrum vel utrumque ponendum " cet.

Nervosorum morborum originem repetit Sylvius a spiritibus animalibus, qui ad functiones animales, sicut ipse monet (17), requiruntur puri, continui, mobiles ac sedati; hos spiritus gigni e sanguine ad cerebrum et cerebellum appulso statuit auctor, partim nutritioni, partim elaborationi spirituum animalium inservienti, et quidem per ramos arteriarum Carotidum et Cervicalium in superficie decurrentes, cum ii, qui ad ipsam medullarem cerebri cerebellique partem transeunt, eorumdem nutritionem perficere videantur (18). Animadvertendum vero est, Sylvium in iis morbis, qui functiones animales turbant, semper etiam ad quamdam acritatem respicere, sic e. g. ponit spiritum acidum volatilem causam remotiorem Epilepsiae. (19)

§. 4. Jam vero non difficile videtur conjicere, quaenam medicamenta inprimis in usu Sylvii erant, et certe non miraris invenire acida et salina lixiviosa

(17) *Prax. Med. l.* II. *c.* 20. *p.* 425.

(18) *Disput. Med.* 4. *p.* 20. Peculiaris etiam est, quae ibi memoratur, Auctoris sententia, suspicantts, hosce spiritus, suam functionem animalem peragentes non in totum absumi aut in auras evanescere; sed in lympham mutari, quae per vasa lymphatica, sanguini parte sua spirituosa plurimum destituto, advehitur. Illius sententiae mira est convenientia et similitudo cum theoriâ dein propositâ et confirmatâ de fluido nerveo a vasis lymphaticis absorpto. Vid. Th. Sömmering et J. F. C. Sebastiaan *Verh. over het Zenuwvocht opgenomen door de watervaten* in *Nieuwe Verhand. van het Legaat van* Monnikhof. 1. *d. Amst.* 1811.

(19) *l. c.* Conf. Sprengel. *l. c. p.* 395.

sa (20), per spiritum volatilem alterata et plus minus volatilisata, quo pertinet spiritus salis, cohobatione iteratâ cum spiritu vini, dulcis factus; sal tartari itidem cum spiritu vini volatilis redditus; sal succini, urinae, cornu cervi; ipsumque sal ammoniacum crudum, ejusque spiritus, sive sal volatile cet: quibus fermentationem abolitam vel diminutam promovere tentabat (21), nec minus laudat terrestria, absorbentia, quae suis subjungit sic dictis alterantibus (22).

Praecipue autem de Sylvii morborum curatione valent, quod ea maxime consisteret in quâdam perversae humorum mixtionis mutatione, quem scopum, ut attingeret Secta Iatro-chemica, varias moliebatur praeparationes, quas ad morbos, quibus convenire videbantur, exiguo, sicuti dicit Boerhaavius (23), cum judicio, absque distinctione causarum et temporum applicabant.

§. 5. Rudimenta chemiae, quae Paracelsus, et Helmontius posuerant, dein Sylvius elaboravit et denique recentiori tempore in memoriam, quâ exciderant plurima (24) eorum placita, reduxerunt Priestley, Rigby aliique, qui novis inventis chemicis instructi, iterum phaenomena corporis animalis e Chemiâ explicare conati sunt. (25)

Priest-

(20) *l. c.*
(21) Sylv. *Prax. Med. l.* I. *c.* 7. *p.* 168.
(22) *Meth. Med. l.* II. *c.* XI. *p.* 107. *Cap.* XXIII. *p.* 131.
(23) *Meth. Med. t.* II. *p.* 849. *seq.*
(24) Kapp *l. c. p.* 8.
(25) Hecker *Theorien en Stelsels cet. p.* 117. *vert. door* v. d. Breggen. *Haarl.* 1809

Priestley autem, variis aëris principiis cognitis (26), novam proponebat theoriam, juxta quam perhibebat respirationem esse chemicum processum, quo corpori subducitur phlogiston, illiusque loco substituitur caloricum liberum. Ejusmodi principiorum permutationem etiam cutim operari dicebat Priestley.

Jam vero plerorumque morborum originem eorumque phaenomena deducebant Chemici a nimio calore corpori inducto vel a phlogisti retentione, in quo casu aëris puri dephlogisticati usus valde laudebatur, et vario modo adhiberi solebat.

Hancce sententiam etiam amplectitur Rigby (27), sed in eo a Priestleyo dissentitur, quod secundum ipsius sententiam ventriculus sit focus, qui ciborum caloricum subtrahit, cujus quaedam pars semper annititur corpus permeare; hac autem perspiratione irregulari, morbi oriuntur cutanei, et alia morbosa phaenomena.

§. 6. Sic plura explicare tentavit Chemia quâdam principiorum affinitate, per quam corporis alicujus disjunctio obtinet, accedente uno alterove principio, quod validius in moleculas corporis constituentes agit, ipsarumque cohaesionem tollit, atque aliam constituit; ipsa vera Chemia ejusmodi mutationem

(26) *Phil. Transact. vol. 62. p. 257. — Directions for impregnating water with fixed air. Lond. 1772. 8°. — Versuche und Beobacht. üb. verschied. Gattung. d. luft aus d. Engl. Wien. 1778—1780. 8°.*

(27) *Versuch. üb. d. Ursprung d. thier. Wärme nebst ihre Anwend. cet. übers. v. Diel. Altenb.* 1789. Conf. ea, quae memorat de iis Crawford. *Vers. u. Beobacht. üb. d. Warme cet. a. d. Engl. v.* Crell. *Leipz.* 1785.

nem subiit, cum ipsius forma mutata sit, novo accedente principio, quod theoriam phlogisticam turbasse, et in antiphlogisticam mutasse videtur.

Doctrinâ enim phlogisticâ modo ad caelum laudibus elatâ, nunc iterum rejectâ, prodiit Girtannerus, qui oxygenium habuit (28) pro principio irritabilitatis, quae regno vegetabili et animali inest, cui principio tota innititur medicina antiphlogistica. (29) Inde explicanda sunt, quae proponit Trotter (30) de scorbuti origine, secundum illius sententiam, oriundi ex oxygenii defectu, (31) quam opinionem etiam amplectitur Beddoes (32), qui ab oxygenii abundantiâ phthisin derivat.

Ackermann (33) vero tria admisit principia che-

(28) Sprengel's *Uebersicht cet. p.* 48. *seq.*

(29) Hecker *l. c. p.* 190. *seq.* Inter alios multa dubia de hoc principio. protulerunt Hufeland. (*Ideën zur Pathogenie p.* 125. *Jena* 1795. 8°.) Brandis (*Vers. üb. d. Lebenskraft. Hannov.* 1795. 8°.) Herdmann. (*An Essay of the causes and phenoments of animal live. Lond.* 1795. 8°.)

(30) *Observations on the Scurvy, London* 1792. 8°.

(31) Conf. G. C. Kapp's *System. Darstell. der durch die neuer. Chem. in d. Heilk. bewirkt verander. und verbess. cet. Hof.* 1805. *p.* 4. „So setste Cartesius den grund aller bösartigen Fieber in Mangel an Sauerstoff, woraus erhelt, dass nichts Neues unter der Sonne geschah, wenn Reich ein ganzes Jahrhundert später den generischen Character der Fieber in absoluter oder relativer örtlicher oder allgemeiner Verminderung des Sauerstoffs setzte, und vorzüglich die mineralischen Säuren als die wirksamsten Heilmittel anrühmte." Conf. J. F. C. Sebastiaan *l. c.* 1. *d.* 2. *st. p.* 99.

(32) *Observat. on the natur. and care of Calcul. Sea-scurvy, Comsumptions cet. Lond.* 1793. 8°.

(33) *Vers. ein. Phys. Darstell. d. Lebenskraft organ. Körper, Frankf. am Main.* 1797. 8°.

chemica, Carbonicum, Oxygenium et Caloricum, quorum ope omnes corporis functiones peragi dicit.

His autem principiis Baumés non contentus plura constituit (34), quibus omnes explicaret morbos, distinctos scilicet majori copiâ Oxygenii, Calorici, Hydrogenii, Azoti, et Phosphori, cui divisioni respondebat remediorum distinctio. (35)

Similia condiderunt Peart (36) et Humboldt, (37) aliique, diversa vero fere omnia reprehenduntur, ita ut eadem nobis de recentioribus Chemicis constent, quae Boerhavio de antiquioribus, dicenti (38): „ne tamen quis existimet in uno id exemplo obtinuisse; enimvero vix prostat illustre, in quod idem non inciderit arguendi genus. Inde multiplex adeo inter illos Secta est, condente quolibet per varia experimenta doctrinam universalem suis propriam, suis adstrictam observatis, ut tandem vix reperias, qui super eâdem re inter se non contendant."

(34) *Vers. e. Chem. Syst. z. Kenntn. v. d. Bestandsth. d. Menschl. Körp. a. d. Franz. v.* Karsten, *Berlin.* 1802. 8°.

(35) Sprengel's *Ueber. p.* 450 *et* 458.

(36) *Physiology or an attempt to explain the functions cet. Lond.* 1798. 8°.

(37) *Grens neues Journ. d. Physik. Bd.* IV. *p.* 171. *seq.*

(38) *Orat. de Chemia suos errores expurganti in Opusc. p.* 40. *Hag. Comit.* 1738. 4°.

CA-

CAPUT II.

OPINIONES ET PLACITA IATRO-MECHANICORUM.

§. 1. Tria refert Sprengelius (1) momenta, quae non parum contulisse videntur ad sectam Iatro-Mechanicorum condendam, 1°. nempe circulatio sanguinis ab Harveyo recens detecta; 2°. Philosophia Cartesiana et 3°. Galilei Schola, quae si consideremus, nequaquam mirabimur illorum temporum philosophos mechanices studio et hinc philosophemata ex hac Scholâ derivanda in medicinam tum theoreticam, tum practicam introducta fuisse.

Quid mirum? sanguinis circuitu demonstrato, facile concludebant medici corpus esse machinam hydraulicam, (2) in quâ sanguis, sic ut iners fluidum, per suos canales duceretur, nec difficilius jam ipsis videbatur, vires motrices sanguinis computare. Praeterea hisce conveniebat doctrina Cartesiana, quae inprimis disciplinam mathematicam cum medicinâ conjungere studebat (3). Nec minus Galilei asseclae Sectae Iatro-mathematicae amplificandae profuisse videntur, qui Physi-

(1) *l. c. t. 4. p. 471. seq.*

(2) Hecker *Theorien cet. p. 110. seq.*

(3) Donzellini *de usu Mathemat. cet. vol. 2. p. 516. Genev.* 1719. 4°. Conf. Sprengel. *l. c. p. 371. seq. 472 et 487. seq.*

sices, Mathematices aliarumque scientiarum culturam tanto ardore et diligentiâ prosecuti sunt (4). Hujus autem Sectae Iatro-mechanicae auctor fuit Borelli, Scholae Galileanae discipulus, et nemo certe est, qui miretur, illius Sectae principem ex hac Scholâ provenisse.

§. 2. Optime meritus est Borelli de explicandâ actione musculorum et motu ossium, quae tanquam vectes considerat et ea, quae docet de iis, scite in corpus humanum applicat (5); fibras autem musculares sibi fingit e rhomboïdeis figuris compositas, quae invicem cohaerentes seriem fibrarum constituunt. (6).

Quid autem haecce instrumenta motûs movet? quaenam exstat causa proxima motûs musculorum? Hîc non prorsus se extricare potuit Mechanicus a principiis chemicis theoriae, ipso quasi invito, adhaerentibus, cum Borelli illam causam motricem statuat in quâdam fluidi nervei et sanguinis effervescentiâ, quae intumescentiam musculi gignit (7). Ab hoc autem fluido nerveo, si acrimoniam contraxerit, et cor stimulo suo incitaverit, febris naturam deducit, quo sanguis nihil contribueret (8). Mentione enim supra factâ (9) experimenti Fracassati Malpi-

(4) Vinc. Viviani's *Lebensbeschreib. desselb.* in Heumann's *Act. Philos. t.* 3. *p.* 261. *seq.*

(5) Borelli *de motu animal. l.* 1. *prop.* 9. *p.* 17. *prop.* 17. *p.* 26.

(6) *l. c. prop.* 119. *p.* 156.

(7) *l. c. lib.* II. *prop.* 26. *p.* 46.

(8) *l. c. prop.* 225. *p.* 337.

(9) *l. c. prop.* 224. *p.* 334.

pighio communicati (10) typum febris periodicum explicat e quadam fluidi nervei vitiati retentione in glandulis (11).

Quae vero memorat auctor de aliis corporis phaenomenis, de respiratione e. g. magis ipsum studium mechanices declarant, (12) quod etiam demonstrat ipsius sententia de digestione, in quâ ventriculi vires computabat (13), ac si eas, bilanci impositas, ponderavisset (14).

Praeterea secretiones explicare solebat e vasorum diametro, quae diversa etiam diversam determinare debebat secretionem (15).

§. 3. Similia etiam referebat Bellini, sed in secretione, cujus explicationi inprimis studuisse videntur Mathematici, praeter vasorum diametros, angulos cet: quoddam fermentum assumebat, sententiam Iatrochemicorum secutus (16).

Quod autem attinet ad sanguinis circulationem in vasis capillaribus, putat Auctor, in iis sanguinis motum, ob majorem resistentiam arctiorum vasculorum

(10) Fracassati in animalium venas injiciebat acria, cui operationi forsan ansam dederat transfusionis methodus, de quâ Sprengelius dicit, Libavii mentem referens: „Nach seinem (Libavii) Berichte hatte diese Methode ein Schwärmer empfohlen, der zwar nich zur Secte der Paracelsisten gerechnet sein wollte, aber desto mehr Rozenkreuzer war." Sprengel *t.* 4. *p.* 46.

(11) *l. c. prop.* 227. *p.* 344.

(12) *l. c. c.* 7. *prop.* 90. *p.* 129. *et alibi.*

(13) *l. c. prop.* 191. *p.* 289.

(14) Sprengel. *l. c. p.* 66. *seq.*

(15) Borell. *l. c. prop.* 145. *p.* 220.

(16) Bellin. *Opuscul. p.* 183. *Lugd. Bat.* 1696. 4°.

rum (17) minui, attritum vero augeri, unde globulorum sanguineorum sejunctio. Erat enim, quae fere omnibus placebat, opinio, quod e quibusdam globulis sanguis constaret, quorum motus computabatur (18). Ex illorum globulorum circa axin volitantium attritu particulas aethereas dissolvi putabat Bazzicaluve (19), et inde explicanda esse calorem animalem, fermentationem sanguinisque mixtionem.

Pitcarn vero nequaquam concedebat per fermentum fieri secretionem, dicebat enim, ad fermentationem requiri quietem, et atmosphaerae aditum, praeterea perhibebat, tumultuosâ fermentatione sine dubio irregularem fieri debere circulationem, quae e contrario procedit regulari motu (20).

Hujus autem viri lectionibus interfuit Boerhaavius, qui plurimi faciebat Mechanicam, eamque plerumque ad corporis functiones applicare conabatur (21), ipse enim dicit: (22) „ cuncta fere, quae vitam sanitatemque nostram faciunt vel sequuntur, pendere a motu illo, quo humores per vasa mutuâ plane moventur et agunt, vicissim agitatione, cujus ef-

(17) Ab hac vasculorum minori capacitate repetenda est theoria obstructionis, quam dein permulti auctores inflammationis causam habuerunt. Conf. Sprengel. *l. c. p.* 78.

(18) De Sandris *de natur. et praeternat. sanguin. statu. pag.* 109. *seq. Francf.* 1712. to.

(19) *Novum Syst. Medico-Mechan. p.* 12. *seq. Paris* 1701. 4to.

(20) *De circulat. sanguin. cet. in Opuscul. p.* 10. Conf. ea, quae dicit Pitcarnius de ventriculi fermento in libro *de motu, quo cibi* cet. *pag.* 32. *seq.*

(21) Sprengel *l. c. p.* 502.

(22) *Orat. de usu ration. Mechan. in Medic. p.* 25. *edit.* 3. *Lugd. Bat.* 1730 4°.

effectus (ita pergit) et leges quum soli rite intelligant, explicent et demonstrent in Pneumaticis atque Hydraulicis Mechanici, concludo cuncta ergo disciplinae subjecta Mechanicae" (23).

§. 4. Nequaquam profecto mirandum est, quod Iatro-mathematici, qui tanti momenti habebant sanguinis circulationem, inprimis etiam attenderint ad secretiones, illarumque functionem investigaverint. Videbant enim arcte cohaerere circulationem cum hac organismi operatione et, illâ calculis mathematicis subjectâ, minime haesitabant de proferendis sententiis mechanicis quoad secretiones. Sic mere mechanica erat theoria, quam proponebat de circulatione et secretione de Moor (24), omni explicatione a sanguinis pressione deductâ, quam alii deducere malebant, Newtonis placita secuti, ex homogeneâ attractione, quam ab heterogeneâ eo distinguendam esse putabat Keilius (25), quod haec omnes sanguinis particulas conjungat, illa vero certas tantum colligat; jam vero ratione inversâ imminuentis motûs sanguinis augeretur mutua attractio partium homogenearum, quâ tandem fieret in organis secretoriis molecularum sejunctio a sanguinis massâ. Patet inde Kei-

(23) Conf. *Mechan. Morbor. desumt. a motu sanguin.* Auctor. J. B. Marino *Part.* 1. *p.* 1. *Offenbaci ad Moenum.* 731. 4to.

(24) *Cogitat. de instaur. Medicin. p.* 49. *Amst.* 1695. 8°. Cujus opinioni convenit ea, quam Marinus proponit. (*l. c. p.* 13.) „Sanguineum (nempe) laticem in glandulis peculiarem a specificâ glandularum structurâ motum probabiliter mutuari, ut separanda corpora apte secernantur."

(25) *Tentam. Med-Physic. p.* 47 *et* 62. *Lugd. Bat.* 1724. 4°.

Keilium iterum minoris pretii habuisse aliorum opiniones de vasorum diametris, angulis cet (26).

Hecquétio autem, qui inter alios digestionem etiam modo mechanico, per ventriculi attritum scilicet, explicare tentat, nec per fermentum chemicum fieri scite contendit (27), minime sententia placebat eorum, qui cordi uni vires sanguinis motrices tribuebant, ipse vero malebat Hoffmanni (28) sententiam amplecti de solido vivo, juxta quam circulationis et secretionis ratio sufficiens in quodam vasorum motu oscillatorio poneretur. Vires enim cordi non tantas concedebat, quantas statuere vulgo solebant Mathematici, quae ei videbantur quadruplo superare ventriculi vires (29).

§. 5. Jam etiam nonnulli petebant febrium originem e circulationis vitiis. Locum habet stagnatio in vasculis minoribus, quae, vel nimis contracta, vel nimis dilatata febrium typum ponunt; febres continuae a sanguinis retentione in contractis vasculis, putridae ab ejus stagnatione in nimis dilatatis deducuntur (30).

Opi-

(26) Sprengel. *l. c. p.* 514. 517. alibi.

(27) *Traité de la Digestion des Alimens. p.* 20. *seq. Paris* 1712. 8°.

(28) Fr. Hoffmannus e placitis mechanicis et mathematicis organismi phaenomena exponere tentabat, illorum vero causas e viribus animali oeconomiae privis. Conf. Sprengel. *l. c. t.* 4. *p.* 501. Simili ratione Sauvagesius utebatur disciplinâ mathematicâ et doctrinâ Stahlianâ. Spengel. *l. c. p.* 498. 524.

(29) Hecquet. *l. c. p.* 109.

(30) Gourraigne *de Febrib. juxt. Circulat. leges. p.* 16 *et* 323.

Opinionem, quam de calore animali proposuerat Martine (31), refutat Stevenson (32), eamque minime repetendam esse ab attritu globulorum sanguineorum in vasorum parietes contendit, calor enim animalis non semper respondet (sic argumentatur Stevenson) pulsuum numero, sanguis arteriosus calore venosum non superat, licet in venis attritus minor sit.

Praeterea contendebat Stevenson, praeëunte Pitcarnio (33), motûs sanguinis, quo longius a corde recedit, celeritatem decrescere ob ampliorem vasorem capacitatem, ratione habitâ ramorum majorum systematis vasculosi, ideoque attritum minui. Newtonis principia de vi attractivâ multum in rei medicae formâ mutandâ valuerunt, nimirum Robinson, qui quidem inflammationem dicebat sanguinis stagnationem, non eam considerasse videtur, quasi natam errore loci globulorum rubrorum, in vasis lymphaticis impactorum, sed potius tanquam solidorum sobolem. Is enim praeter vires attractivas solidis et fluidis inesse quandam vim repulsivam dicebat (34), quarum actione et reactione harmonicâ bona perficeretur humorum mixtio, et integra perstaret sanitas; statuebat denique omnes morborum causas

sas

(31) *De Simil. animal. p.* 187. *Lond.* 1742. 8°.

(32) *Medical Essays and Observat. of Edimb. vol.* 5. *P.* II. *p.* 806.

(33) *Dissert. de Circulat. sang. p.* 50. *in Opusc. Neapol.* 1721. 4to.

(34) *New theory of physick, and diseas. p.* 19 *et* 49. *Lond.* 1725. 8°.

sas agere in solida, omnesque affectiones morbosas consistere in illorum motu irregulari (35).

Contendebat etiam Robinson nervos non esse tubos, fluidum nerveum vehentes, sed conductores, sive chordas, quae tensionem vel vibrationem cerebro tradunt (36), sed, licet neget fluidum nerveum adesse, non potest non admittere aetherem animalem, statuens tensionem per conductores nerveos, vibrationem vero inprimis per aetherem fieri (37).

§. 6. E memoratis satis constare videtur, quomodo Mathematicae et Mechanices studium in medicinam applicaverint nonnulli Medici; non enim opus esse credidimus, quod ea memoraremus, quae ad medicinae limites proferendos omni utilitate caruisse videntur.

Quid enim, quaeso, medici interest, scire pondus animalculi seminalis, (fac, illud revera existere, nec eum, qui talia proponit, pugnare cum umbrâ) cujus tam leve momentum est, ut difficulter numerorum serie notari possit, sed facilius indicet levitatem mentis ipsius computatoris? (38) Quid inde boni, quod cum Barry computemus dispendium virium cordis et auctam densitatem minimarum arteri-

(35) *l. c. p.* 60. 86. Conf. hunc in locum Sprengel. *l. c. p.* 520. ubi dicit: „Diese solidar theorie, entlehnten die engländischen Iatro-mathematiker von den Grundsätzen der Newton'schen Philosophie; Fr. Hoffmann aber aus der Principien des Leibnitzischen systems.

(36) *On the Spleen. p.* 102. *seq. Lond.* 1729. 8°.

(37) *l. c. p.* 158.

(38) Wintringham *Inquiry into the exility cet. p.* 17. *Lond.* 1743. 8°.

riarum in provectiori aetate? (39) Nonne solidiori niteretur fundamento Hippocratis Prognosticon, quam quidem nostri auctoris, qui computatione subtiliori fretus, vaticinatus est numerum annorum, quos viveret homo (40)?

Haec autem sufficient, ni fallor, ad mentem medicorum Mathematicorum cognoscendam.

CAPUT III.

OPINIONES ET PLACITA SECTAE ANIMISTARUM.

§. 1. Stahlius, quem licet forsan praeïverint nonnulli, quorum placita nonnunquam cum suis principiis conveniunt, illorum opiniones et dogmata ita ampliavit et exposuit, ut Animistarum sectam condidisse et stabilivisse (1), et veterum restaurasse doctrinam organicam dici mereatur (2). Hic autem,

(39) *Treatis. on the three different digestions cet. p.* 130. *Lond* 1759. 8°.

(40) Sprengel. *l. c. p.* 532. *seq.* Wenn f das gewöhnliche Lebens-alter = 70 Jahre: b die gewöhnliche Zahl der Pulse in einer Minute = 60: c die Zahl der Pulse im ganzen Leben. Wird nun durch Diät fehler die Zahl der Pulse bis $z = 75$ erhöht, so verhält sich $z : b = f : \frac{bf}{z}$. Der mensch wird also nur $56\frac{60}{75}$ Jahre alt.

(1) *Idem Pragm. Gesch. t.* 5. *p.* 9. *seq.*

(2) F. W. ab Eisenhart *de Histor. Doctr. Med. Organ. cet.* 43. Conf. Blumenbach *Medic. Biblioth.* 2. *Bd.* 2. *st. p.* 396. *seq. Gött.* 1785. 8vo.

tem, cum perspiceret, Mechanices vel Chemiae studium non satis valere ad leges oeconomiae animalis explicandas et ad illud principium eruendum, quo omnes hi effectus, quos observabant et explicare conabantur illi medici mechanico vel chemico modo, perficiebantur, sublimiora petiit et spiravit, aliunde, quam ex humorum vel solidorum vitiis, suam petiens theoriam. Quid? non intelligebat, quomodo fieri possit, quod corpus animale tam raro morbis, ex acritate humorum oriundis, laboraret, licet tanta acrium copia ingeri soleat (3). Observaverat quidem Stahlius saepius efficacem pathematum vim ad gignendos morbos, in quibus nulla vitiata mixtio vel mechanica quaedam perversa ratio praecesserat, sed solummodo turbata motuum vitalium actio. Illorum autem motuum studium constituere veram theoriam, quâ illustratur res medica, putat Auctor, iisque inniti debere, ne forsan quasdam opiniones pro vero habeamus theoremate, inter quae distinguendum quidem esse annotat (4). Sic, licet Physices, Chemiae et Anatomiae studium minime reprehendat, ea tamen nequaquam ad explicanda organismi phaenomena sufficere credit (5), cum vera physiologia, ex ejus opinione (6), minus consistat in subtiliori anatomiâ vel in applicatione dogmatum chemicorum, quam quidem in exponendis legibus et regulis organis-

(3) Sprengel. *l. c. p.* 13.

(4) Stahlii *Propemptic. inaug. de opinion. Med.* ad Emmerich *Diss. de Morb. corrupt. Halae* 1702. 4to.

(5) Stahl *Paraenes. ad aliena a med. doctrin. arcendum. pag.* 16. *seq. Hal.* 1706. 8vo.

(6) *Idem Negot. otios. p.* 47. *seq.*

nismi, juxta quas motus vitales ordinantur. Unica autem via, quâ illarum legum cognitionem adipisci possumus rationalis Stahlio est empeiria, ex quâ nimis neglectâ causa dissensûs medicorum petenda videtur (7).

§. 2. Omnes autem organismi motus, omnis organica operatio secundum doctrinam Stahlianam pendet ab animâ, principio immateriali, sub cujus imperio omnes peragerentur corporis functiones, ejusmodi enim principium immateriale solummodo corporis (i. e. ex ejus opinione, materiae passivae) motus efficere posse primarium est Stahlii placitum (8). Omne materiale medium negat Stahlius in actionibus organismi perficiendis, dicit ipse (9): „ absona penitus est et ingeniorum acumine indigna distinctio illa inter crassius et subtilius materiale, et hujus posterioris majorem convenientiam, et propius aliquod commercium cum immateriali," supra autem dicerat auctor (10): motu — „omnia utique sua agit anima." Doctrina Stahliana eorum sententiam rejicit, qui putant, conceptionem fieri per quemdam nisum formativum, omnium enim corporis functionum primum agens ad unum refert principium, animam scilicet, quae omnes organismi vires comprehendit (11). Eadem enim est, secundum illius sententiam, conceptio-

(7) *Idem Propempt. Inaug. de dissens. Medicor.* ad Loges *Diss. de Ven. Sect. in acutis. Hal.* 1703, 4to.

(8) Sprengel. *l. c. p.* 18. Kortum. *Skizze ein. Zeit. und Literärgesch. cet. p.* 400

(9) *Theor. Med. Part.* 1. *Sect.* 1. *p.* 19. *Hal.* 1707.

(10) *l. c. p.* 17.

(11) Sprengel. *l. c. p.* 25. Tourtelle *Hist. Philos. cet. t.* 2. *p.* 447.

tionis vis ac ea, quae nutritionem et partium deperditarum redintegrationem operatur (12). Ad illam opinionem conceptionis confirmandam adducit maternae imaginationis efficaciam, et influxum in foetûs formationem (13).

§. 3. Nutritio autem, cum ex illius opinione nihil aliud sit, quam continua conceptio, non minus, ac haec animae operatio, est sub illius imperio. Anima enim *ἀπαίδευτος* (14) vi gaudet electivâ (15), quâ materiem suo loco convenientem appropriat, et sic miscelae integritatem unà cum vitâ conservando facit *τὰ δέοντα.*

Ad secretiones explicandas praecipue attendit Stahlius ad separationem principiorum fluidiorum a spissioribus (16), et ad transudationem secernendorum immediatum sanguinis transitum ob vasorum plenitudinem in tenuissimas venarum extremitates non assumens (17). Praeterea in secretionibus multum efficere motus tonicos docet Stahlius (18), quo sanguis, ceterique humores propelluntur et ad certa organa diriguntur, cujus autem motûs tonici causa iterum ad animam refe-

(12) Stahl *l. c. Sect.* IV. *p.* 246. *seq. Negot. Otios. p.* 93. *seq.*

(13) *Idem Theor. Med. l. c. p.* 250.

(14) Conf. ipsius *Propempt. Inaug.* *περί φυσεως ἀπαιδευτου* ad Volhart. *Diss. de Natur. error. Med. Hal.* 1703. 4to.

(15) Stahl. *Theor. Med. Sect.* III. *p.* 238.

(16) Stahl *Theor. Med. p.* 78. *seq.*

(17) *Idem l. c. p.* 79.

(18) *Diss. de motu vitali p.* 30. *Hal.* 1702. 4to. ejusque *Comment. p.* 55. Conf. Stahl *de scriptis suis cet. p.* 47. *Hal.* 1707. et *Theor. Med. p.* 333. *seq.* et *l. c. Sect.* II. *p.* 297.

ferebatur (19). Elucescit inde, quod Stahlius pro spiritibus, quos alii admittebant, ille vero negabat, coactus fuerit aliam animae subordinatam statuere vim, cujus ope anima quosdam perficeret motus, ad vitam necessarios. Hanc opinionem ait Sprengel (20) deduxit ab irritabilitate Glissonis, qui vero illam animae adscribere noluit.

Hoc autem motu tonico accepto, dubium afferebat Stahlius theoriae Harveyi, qui circulationem mechanice explicare volebat, ac si sanguis sua sponte eo flueret, quo minor erat resistentia; nec amplius eorum sententia satis valebat, qui ex stagnatione vel acritate humorum quaedam circulationis phaenomena explicare tentabant, cum jam ex theoriâ stahlianâ tantummodo ea in censum venirent, tanquam stimuli organismi animalis, qui, motu tonico animali adaucto, convulsiones, febres, congestiones cet. efficere poterant (21).

§. 4.

(19) *Theor. Med. p.* 18. ubi dicit: „— omnes *actiones* in corpore, quae tam ad ejus *structuram*, quam *mixtionis conservationem* pertinent ab ipsa *anima*, et propter suos *usus* atque *fines* suscipiantur, et ea *proportione* atque *ratione* quae *scopis* illis atque usibus convenit, *scite et convenienter* regantur, imo absolvantur: et hoc quidem actu illo, *animae* ipsius *indoli* quam maxime *gemino*, nempe in se *incorporeo motu*. Nec *incorporeo* solum, sed etiam ita scite atque *proportionate* administrato, quemadmodum *convenit* non solum *materialium* subjectorum indoli: sed ipsis usque nudis *simplicibus*, et plane *directis animae intentionibus*, *generalibus* inprimis, ut in *animi pathematibus*, reliquis, imo *specialiori*, in *nausea*."

(20) *l. c. p.* 32.

(21) *Idem l. c. Theor. Med. Part.* II. *p.* 298. *seq.*

§. 4. „ Verum *generalissimum subjectum* aegritudinum est *perturbata idea regiminis* ipsius *oeconomiae* animalis," dicit Stahlius ipse (22). Non aliter fieri poterat, quin auctor talem morbi definitionem proferre debuerit, nisi discedere vellet à principio suo immateriali, quod omnes corporis partes, vel ratione, vel ratiocinio regeret. Illud autem placitum confirmat hominum major morborum numerus (23); anima enim humana, simulac morborum causae se offerunt, de sui corporis salute anxia, suamque salutem propugnans, inordinatos gignit motus tonicos, qui cum illis causis remotis plurimos componunt morbos (24). Quo sensibilius et irritabilius subjectum est eo magis dispositum ad morbos censetur a Stahlio (25). Frequentior autem erat, secundum illius doctrinam, plethora morbi causa; thema enim illius fuit

(22) *Theor. Med. Part.* II. *p.* 20.

(23) *l. c. p.* 12. Dicit autem ibi A. „ certissime vero omnium (etiam locutus erat de victus abusu) frequentius obnoxii sunt atque manent morbidis affectibus, quicunque animi moribus atque motibus multum indulgent" cet.

(24) *l. c. p.* 64. *ubi notat A.* „ Motuum autem ratio, quatenus *praeter ordinem naturalem* in corpore conspicui facti vel *incommoda* vel *pericula* formant atque fovent, perpendenda omnino venit *duplici* hoc intuitu; nempe primo, unde pendeant; an *simpliciter praeternaturales, perversi*, ab ipso *morbo* ita corrupti, existant, et *physico* quodam successu *morbum sequantur* atque *materialibus nexibus* aliter se habere non possint; — an vero contra, saltem ordine *morali*, *finali*, non a corpore, aut simpliciter PER corpus sed PROPTER *usus* imo *necessitates* corporis *ut vivi* ut *conservandi*, tales contingant." cet.

(25) *l. c. p.* 19.

fuit (26): „quae ad sustentationem augmenti corporis pertinent, facilius atque promtius abundanter colligi, et supra, quam ad ullum praesentaneneum usum, nedum necessitatem." Praeterea pro diversâ aetate diversa etiam corporis pars magis minusve statum plethoricum subire videtur, ita ut in aetate puerili motus tonicus dirigat majorem sanguinis copiam ad caput, quod tunc temporis inprimis evolvitur, in aetate juvenili ad pectus, in provectiori ad abdomen (27).

§. 5. Quaecumque autem causa morbosa corripit activum principium, id statim reagit et vitales concitat motus, (28) producit excretiones et secretiones, quibus morbi solvuntur. Haec est veterum naturae 'Αυτοκρατία (29) quale naturae conamen, suam salutem propugnantis, in febribus observamus (30). Semper autem Stahlius illam naturae ἀυτοκρατίαν sibi ante oculos ponebat in morborum curatione, permagni enim habebat illos motus tonicos, et nusquam obli-

(26) *l. c. p.* 156.

(27) Stahl *et* Gohl *Diss. de Morb. aetat. Hal.* 1698. 4to. „Vena Portae porta malorum:" theses erat vulgo a Stahlianis accepta, et ab ea deducebant plurimos morbos chronicos. Conf. Sprengel. *l. c. p.* 36. *seq.*

(28) *Motus* vitales a *tranquilla* sua, *ordinata continuatione* dimoventur, vel *a posteriori* quando *materiae movendae* debitae *mobilitatis* detrimentum patiuntur aut *instrumenta* tam *impellentia* quam *admittentia*, *transmittentia*, *recipientia* pervertuntur, vel *a priori* praecipue et eminentissime ab *animi pathematibus*. Stahl *Theor. Med. Part.* II. *p.* 283.

(29) Stahl *et* Lasius *Diss. de* ἀυτοκρατίᾳ *naturae. Hal.* 1694. 4to.

(30) *Theor. Med. Part.* II. *p.* 293.

oblitus fuisse videtur, medicum esse naturae ministrum, illiusque esse observare, quid natura faciat vel ferat. Ubi vero naturae liberae actionis obstacula observabat, ea, quae motus salutares impedire possent, tollere conabatur, attentus, quo natura vergeret, ut ipsius motus et conamina redderet faciliora (31).

§. 6. Permulti autem fuerunt auctores, qui Stahlianae sectae, (cujus ut et aliarum sectarum delineationem tantum duximus,) addicti, in verba magistri jurârunt, omnesque illius opiniones et placita acceperunt, (32) nonnulli tamen quoque exstiterunt, qui quidem Stahlii principia secuti sunt, sed quaedam detraxerunt, alia addiderunt. Mox enim Eclecticorum more quidam medici ea principia cum aliis combinarunt, inprimis Iatro-mathematici, cum perciperent suas computationes mathematicas quodammodo quidem sufficere ad phaenomena quaedam oeconomiae animalis explicanda, minime vero ad illius vires indagandas. Inter illos numerare licet Cheynium, et Robinsonum, qui quidem animae influxum non negabant, nec tonicos motus, sed simul respiciebant ad mixtionem fluidorum, et formam solidorum. (33) Whyttius etiam strenue Stahlianam doctrinam de immateriali principio defendit (34), sed in eo a Stahlio

(31) Stahl. *Theor. Med. Part.* II. *p.* 292. Stahl *et* Richter *Venae Sect. Patrocin. Hal.* 1798. 4to. Conf. Sprengel *l. c. p.* 44. *seq.*

(32) Sprengel. *l. c. p.* 47—58.

(33) *Idem l. c. p.* 59. *seq.*

(34) *Theor. Schrift. uebers. v.* Sietzan. *p.* 250. *Berl.* 1790. 8°.

lio dissentitur, quod motus vitales quidem ab animâ sensitivâ, sed non rationali petat (35).

Suavagesius et Mechanica et Animistica accepit placita (36); morbos autem, ut Stahlius, dicit oriri, ubi vitae principium reagit in causas, corpori nocivas; sic in febre circulatio acceleratur (37).

Haec quidem, licet levem hujus sectae praebeant delineationem, nostro scopo sufficiunt, ut jam comparationem instituamus inter Veterum Recentiorumque sectas, ipsorum placita et opiniones.

(35) *l. c. p.* 268.
(36) Sprengel. *l. c. t.* 4. *p.* 529.
(37) *Sauvages. Nosol. Method. vol.* 1. *p.* 261. *seq.*

SEC-

SECTIO III.

CONTINENS EXAMEN CRITICUM MEMORATARUM VETERUM RECENCIORUMQUE SECTARUM.

CAPUT I.

EXAMEN CRITICUM OPINIONUM ET PLACITORUM SECTAE DOGMATICORUM, METHODICORUM, ET PNEUMATICORUM.

§. 1. Certe non mirandum, artem medicam, vix in scientiarum ordinem reductam, nec amplius, ut antea, cum aegri, in foro collocati, a praetereuntibus expertum mali levamen implorarent, fieri solebat, inepte et sine consilio tractatam, vario modo cultam fuisse. Vix enim haec ars, antiquitus vulgo divina habita et certis divinitatibus consecrata (1), inter humanas scientias recepta erat, quin dissensiones orirentur, quae a suis fautoribus acriter propugnatae, dubiam vulgo reddebant faciem medicinae, quae per se naturae fundamento innixa, omni tempore eadem et immutabilis (2), tali dubitatione prorsus indigna erat. Inde Dogmaticorum secta, Empiricorum scholae omnino contraria, inter quas Methodici medium tenuisse videntur, quos dein Pneumaticorum secta insecuta est.

§.

(1) Sprengel. *Pragm. Gesch. t. 1. p. 69. seq.*
(2) Gaub. *Inst. Pathol.* §. 20.

§. 2. Dogmatici autem sive ii, ut dicit Celsus (3), qui rationalem medicinam profitentur, prae ceteris medicis, qui alias partes sequebantur, ea considerasse videntur, quae (ut Celsi verbis (4) utar,) „ adjuvant, excitando artificis ingenium." Inprimis enim Dogmatici res naturae contemplati sunt, quae „ contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit."

Sed hîc iterum probatur, quod saepius jam probatum est, omne nimium nocere, nam nullum dubium est, quin Dogmatici, unam alteramve opinionem de quodam morbi principio majoris pretii majorisque momenti habentes, illius indolem saepius pro lubitu potius fingerent, quam quidem talem referrent, qualem certior experientia docet.

Empirici autem, solâ experientiâ freti, Dogmaticorum dissensiones intuentes, nihili ea, quae inprimis decere medicum arbitrabantur Dogmatici, aestimârunt, et, si nonnunquam illorum cognitionem admittant, nullum eorum usum monstrare nituntur, vel, si hoc etiam concedant, rursus ut supervacaneum reprehendunt (5). Sic sua vice experientiam Dogmatici damnant, alii tanquam inconstantem, alii ut imperfectam, ceteri ut artis expertem (6). Uterque autem et Dogmaticus et Empiricus

„ Incidit in scyllam, cupiens vitare charybdin."

In iis vero, quae ipsam therapeuticen spectant, utraque secta non valde dissentit, „ eadem (enim) reme-

(3) *l. c. p.* 3. *seq.*
(4) *l. c. p.* 10.
(5) Gal. *de Sect. c.* 5. *p.* 290. *t.* II.
(6) Gal. *l. c. p.* 289.

media, teste Galeno (7), in iisdem affectibus et Dogmatici et Emperici assumunt, de ipsorum inventionis modo dissentientes," et alibi (8) „ curationem in iisdem affectibus eandem molientes, qui utraque secta legitime exercitati sunt" (9).

§. 3. Ex iis, quae supra de Dogmaticis diximus, abunde constat inprimis crasin humorum respexisse Dogmaticos, doctrinâ Platonis de elementis (10) vulgo acceptâ; Dogmaticorum autem praecipua morbos curandi methodus constitisse videtur in mutandâ hac humorum vitiatâ mixtione, unde remediorum phlegmagogorum, chologogorum cet: (11) nomen et usus repetenda videntur.

„ Die allgemeine Therapie, ait Sprengelius (12), litt unter diesen dogmatischen Grübeleien, da man nun nur nöthig fand, den problematischen Dyskrasien solche Mittel entgegen zu setzen, in denen man die widrigen Qualitäten zu bemerken glaubte. Darüber ging die einfache Beobachtung der wirksamkeit der Natur, und ihrer wohlthätigen Bemühungen in krankheiten, verlohren. Ehe man eine hinreichende Menge Erfahrunge hatte, wähnte man schon einen dauerhaften Grund gelegt zu haben, auf welchem das unerschütterliche Gebäude des Dogmatismus aufgeführt werden könne. Auf diese Art mussten

(7) *l. c. c.* 4. *p.* 289.

(8) *l. c. c.* 5. *p.* 291.

(9) Conf. Leopoldt *l. c. p.* 81.

(10) Conf. Sprengel. *l. c. t.* 1. *p.* 275.

(11) Hipp. (*Adscript.*) *lib. de Affectionibus. p.* 85. Cujus vero Auctor habetur Polybus. Conf. Gruner. *l. c. p.* 158.

(12) *l. c. p.* 291.

ten Streitigkeiten an die Stelle der Beobachtungen und unfruchtbare Grübeleien an die Stelle reiner Erfahrungen treten; cet." Haec etiam mihi videntur valere de placitis Empiricorum, qui soli experientiae acquiescentes, illamque ad therapeiam feliciter exercendam sufficere statuentes, omnem naturae interpretationem negligebant, quâ facilior fieri posset ipsius imitatio.

§. 4. Magna autem fuit opinionum et dogmatum differentia inter Methodicos et Dogmaticos. „ Consentiunt, inquit Galenus (13), Methodici Rationalibus, quatenus ex indicatione id, quod conducit, sumi arbitrantur: quatenus autem a diversis, dissentiunt. Etenim Methodici ea, quae conferunt, ab apparentibus quibusdam judicata, desumi arbitrantur. Rationales vero ab apparentibus quidem nequaquam, verum ab occultis." Omnem abditorum indagationem evitant Methodici, praecipuumque illorum dogma in evidenti positum est, quod quidem commune cum iis habent Dogmatici, sed non in quodam organismi habitu externo, sed ex ipsius corporis interiori organisatione petere solent. Sic, ut ita dicam, utraque secta in eo conveniebat, quod e corpore aegrotanti indicationis indicia colligerent, eique convenientem medelam, quâ in re longe ab Empiricis distant, qui non directe ex aegri indicantibus, sed aliunde suam indicationem formare videntur, ibique rationem habentes suae aliorumve experientiae vel epilogismi. Facile autem ex opinionibus et placitis Methodicorum, supra memoratis, conficitur, illos quoque discrepare debuisse ab adversariis in eo, quod, in laxando vel strin-

(13) *De Opt. Sect. c. 8. p. 303. t. II.*

stringendo corpore omne auxilium ponentes, virtutes remediorum specificas negligerent. Quid! iis non opus erat, cum minime spectarent locum morbi laborantem (14). Ejusmodi remediorum distinctio partium, quibus convenirent, cognitionem etiam requirebat, ab anatomiâ petitam, quam scientiam, uti vidimus, inutilem habebant Methodici.

§. 5. Praeterea Methodici etiam inter caeteras sectas eminent rariori purgantium usu (nonnulli prorsus ea rejicere videntur) qua in re Asclepiadis, Thessali aliorumque sententias amplexos fuisse apparet (15). Haec vero opinio de purgantibus remediis primaria causa fuisse videtur, qua re ab eorum usu abstinuerint, quod nempe, monente Caelio Aureliano (16), „ purgativa — medicamina, quae cathartica appellant, praerumpant corpus (17) atque sollicitam eidem passioni solutionem provocent, sic autem alibi loquitur Caelius (18):" non — ratione quâdam tacitâ veluti animal sentiens poterit medicamen (de alo-

(14) Dicit Celsus *l. c. p.* 14. — Ne isti (methodici) quidem ipsi intra suam professionem consistere ullo modo possunt: siquidem et compressorum et fluentium morborum genera sunt, faciliusque id in iis, quae fluunt, inspici potest. Aliud est enim sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere cet. Conf. Cael. *Aurel. Acut. Morb. l.* 1. *c.* 8. *p.* 24. „ Quaesitum — quis locus in phreniticis patitur —. Nos autem sive locorum sive vicinitatis causa eorum generalem curationem non mutamus." et *l. c. l.* II. *c.* 34. *p.* 177. „Neque valde nobis de praepatienti loco certandum est, ne in occulta quaestione versemur."

(15) Conf. le Clerq. *l. c. p.* 306. *seq. et* 404. *seq.*

(16) *Acut. Morb. l.* II. *c.* 21. *p.* 148.

(17) Le Clerq *l. c. p.* 471.

(18) *l. c. c.* IX. *p.* 103.

aloës usu locutus erat) utilia relinquere et ab his, quae contra naturam sunt ac detrahenda, separare (19). Inprimis autem, quod non praetermittendum est, Methodici fuerunt diaetae fautores et vere dixisse mihi videtur Ackermannus (20), „ merito Hippocratem naturalis diaetae in morbis primum dicendum esse auctorem, artificiosae vero methodicos ", ei enim bene ordinandae inprimis studebant illi, ita ut communia potius diaetâ curarent, in quâ pro maximâ parte etiam constabant, quae curam metasyncriticam spectabant.

§. 6. Medias autem inter has controversias, e variis opinionibus et placitis ortas, medici fere omnes id inter se habebant commune, quod Naturae, seu Hippocratis Ἐνορμῶντος obliviscerent, vel potius aliâ ratione quancunque corporis conditionem explicare conarentur, minus ergo attendebant (Galeno auctore) (21) ad naturam „ cujus facultates Hippocrates primus agnovit, et illam semper tum miratur, tum praedicât; quam et justam nominat et solam animalibus ad omnia sufficere dicit" (22). Talis autem quum sit, statim eam facultates habere proposuit; unam, quâ sibi conveniens attrahat, alteram, quâ alienum a se secernat; ipsam praeterea tum nutrire animalia, tum augere; jam morbos quoque finiri ac ju-

(19) Conf. Gal. *adversus* Julian. *lib. c.* 8. *p.* 391. *seq. t.* IX.

(20) *Inst. Hist. Med.* §. 231. *p.* 163.

(21) *De Natur. facult. l.* 1. *c.* 13. *p.* 20. *t.* V.

(22) Conf. hunc in locum Hipp. *Epidem. l.* V. *S.* 6. *p.* 1184. ἀπαίδευτος ἡ φυσις ἐοῦσα καὶ ὀυ μαθοῦσα τά δέοντα ποίεει.

judicari iisdem facultatibus; ideoque in corporibus nostris conspirationem unam, confluxumque unum observari, ac omnia inter se mutuo affici (23). Hancce autem doctrinam rationali experientiae innixam nonnulli non veriti sunt ut vanam explodere et veterum medicinam dicere mortis meditationem (του θανάτου μελέτην) (24).

Pneumatici autem inprimis, principio Hippocratis 'Ενορμῶντι quodammodo simili admisso, longius a Methodicis distare videntur, his enim solummodo curae erat turbatam molecularum harmoniam restituere in convenientem, omni vitalitatis indagatione neglectâ, cum hi potius attenderent, ut supra vidimus, ad vim quandam immaterialem, quae iis erat res speculatione dignissima. Propius autem Dogmaticos accedere ad sectam Pneumaticam sponte apparet, quorum placita nonnunquam confluere videntur, ita ut apud unum invenias hunc illumve auctorem pro Dogmatico, apud alterum pro Pneumatico salutatum.

Mihi quidem videntur ei tantum ad Pneumaticos referendi esse, qui illud Pneuma habuerunt pro primariâ sanitatis morbique causâ, minus, quam Dogmatici, attenti ad humorum crasin vel mixtionem, quae apud hos primaria erant corporis requisita.

SEC-

(23) Conf. *Hist. Doctrin. Medicor. Organ. Disput.* Fr. Weh. ab Eisenhart. *Praes.* P. F. Meckelio §. 30. *seq.* 1790. 8°.

(24) Gal. *de Ven. Sect. Advers. Erasistr. c.* 5. *p.* 397 *et* 398. *t.* X.

CAPUT II.

EXAMEN CRITICUM OPINIONUM ET PLACITORUM SECTAE IATRO-CHEMICORUM, IATRO-MATHEMATICORUM ET ANIMISTARUM.

§. 1. Opinionum et placitorum differentiae, quas supra de Dogmaticis, Methodicis et Pneumaticis notavimus, non minus hîc in oculos irruunt, ubi de Iatro-Chemicis, Mechanicis et Animistis agendum est. Dissentiebant enim quondam Auctores de investigandis abditis morborem causis, de evidentium usu, et de Pneumatos in corpus humanum influxu, non minus seriori seculo diversae erant scriptorum sententiae in explicandis organismi humani phaenomenis.

Vidimus autem unum sedulo respicientem ad humorum crasin, alterum ad solidorum mechanisnum, tertium ad immateriale quoddam principium, animam scilicet, quae omnes regeret corporis humani functiones, omniumque morborum esset origo.

In exponendis, quae recensuimus, placitis, elucescit utriusque seculi character et genius, atque patet a singulâ sectâ magis minusve cultam esse doctrinam organicam. (1) Ea enim, quae hîc de Dogmaticis, Methodicis et Pneumaticis valent, etiam in Ia-

(1) F. W. ab Eisenhart *l. c.*

Iatro-Chemicos, Mathematicos et Animistas transferri possunt, qui, variis, uti vidimus, theorematibus dediti, saepius conveniunt cum iis, quorum sectae, magno temporis spatio intermedio, antea floruerunt, et famam assecutae sunt.

§. 2. Iatro-chemici autem ab Iatro-mathematicis in eo maxime discedere videntur, quod hi solidis, saltem eorum physicis, ut ita dicam, rationibus, illi fluidis, eorum scilicet miscelae et crasi, omnia, quae in corpore apparent, phaenomena concedunt. Magnum certe hoc est discrimen, et illud tantum esse quisque forsan miratur, cum utraque secta non a suis, quae cepit, experimentis discessisse glorietur, et profiteatur proposuisse, quae ipsa experientia obtulisset. Sed non mirum; quae enim casu vel consilio experti sunt hi medici, et extra corpus humanum observarunt, avide acceperunt et in illius organismum transtulerunt; affinitatum leges, quas invenit Chemicus in vase corporum principia explorans, similes fert in microcosmo; Mathematicus autem ipsius studium anteponit, et determinare tentat mathematicâ certitudine plurium functionum leges, attamen sine illius auxilio nova circulationis sanguinis via patefacta, nec a priori certâ mathematicâ computatione demonstrata est.

Utraque secta vera quidem tradidit, et fideliter observata, sed imprudenter iis usa est ad organisationis corporis humani leges explicandas.

§. 3. Animistarum autem secta longe ab iis diversa principia sequebatur, non quidem interpretata leges oeconomiae humanae per chemica vel mechanica placita, sed per aliud principium, organicis corpori-

bus

bus proprium, immateriale (2). Magnum certe inter illorum placita intercedit discrimen. Iatro-chemici nimirum omnes corporis motus a quâdam fermentatione vel effervescentiâ derivabant, quare adessent in corpore humores (3), huic chemico processui parando inservientes; Iatro-mathematici considerabant hominem tanquam machinam hydraulicam, in qua humores per canales inertes ducerentur, eorumque autem humorum motus computabant, ratione habitâ canalium capacitatis, duritiei, angulorum cet. Stahliana vero doctrina sublimiora volvebat, nec per chemiam vel mechanicam explicanda esse phaenomena vitae censebat, sed in animâ materiae passivae virtutem motricem ponebat, et sub illius imperio omnes procedere corporis functiones contendebat.

Facile igitur patet Animistarum sectam prudenter Medicinae scientiam ab aliis scientiis distinxisse, ipsique maxime fuisse curae, ut organicam corporis doctrinam promoveret. (4)

Jam vero, ut haec opinionum differentia abunde constet, exponere liceat illorum explicationem inflammationis.

§. 4 Chemici ratiocinabantur sequenti ratione, sanguinis majori copiâ, quam revehere possunt venae, ab arteriis propulsâ, stagnatio obtinet in vasis capillaribus, et in partium vicinarum interstitiis, sanguis autem stagnans majorem concipit calorem ejusque mo-

(2) E. Tourtelle *Hist. Phil. de la Médicine. t.* 2. *p.* 446. *seq. Paris* 1804. 8°.

(3) P. J. G. Cabanis. *Coup. d'Oeil sur les révolut. et sur la réforme de la Médic. p.* 242. *seq. Paris* 1804. 8°.

(4) Stahl. *Theor. Med. p.* 56. *seq.*

molestam tradit sensationem, donec sensim in putredinem abit, et pus evadit. Omnis igitur phlegmonis proxima causa materialis est sanguis in quadam parte stagnans. Ubi in parte inflammatâ nihil de sanguine reduci potest, gangraena oritur, cum sanguis, spiritûs vitalis affluxu privatus in putredinem abeat, et pars, omnis spiritûs vitalis aditu prohibito, denique emoriatur. Symptomata inflammationis characteristica sic explicantur: rubor a sanguine retento oritur; tumor a majori, quam quidem venae reducere valent, sanguinis copiâ; dolor a partium fibrosarum tensione, quam tumor efficere debet; haec autem ingrata sensatio vel tensiva vel pulsans vel pungens est. Omnia igitur, quae vasa coarctant, et sanguinis motum impediunt, ad inflammationis causas referri possunt. Inprimis autem illud circulationis impedimentum repeti debet 1) a sanguinis tenacitate et spissitudine ob seri defectum, 2) a decompositione sanguinis, cuidam parti adhaerentis, qualem sanguinis dispositionem gignit sal, cujus major quantitas subdole introducta est. (5)

Inflammationis autem natura secundum sententiam Ettmülleri (6), cujus explicationem proposuimus, consistit in stagnatione sanguinis, cujus volatilior pars deperditur, decomponitur jam sanguis et evolvitur sal, quod

(5) Mutant autem nonnunquam Auctores in inflammationis explicatione stagnationem cum spinâ sive acri quodam principio, quod obstructioni ansam dat. Meyer *üb. d. natur. d. Entz. p.* 18. *Berl.* 1810. 8°.

(6) *Opp. t.* 2. *P.* 1. *Sect.* 18. *p.* 532. *seq.*

quod sanguinis caloris gradum exaltat, illumque putrescentem in pus vertit (7).

§. 5. Apud Mechanicos etiam, sicuti apud Chemicos, stagnatio sanguinis in censum venit, sed a Mechanico minus culpatur stagnantis sanguinis decompositio, quam quidem illius pressio et attritus. Hanc autem stagnationem in vasis minoribus producit 1) pressio, collisio, cet. verbo, omne id, quod vasculorum fines arctiores reddere valet, ita ut vasculorum diameter minor sit diametro globulorum sanguinis; 2) omne obstaculum, quod vasculorum oscula obturat, et simul acritatem continet; 3) omne id, quod sanguinis decompositionem promovet; similem autem, quem jam exposuimus in vasculis arctioribus ubi sanguis peccat, effectum observamus si nimis ampli sunt vasculorum fines, ita ut vasculorum ostia in vitio sint, et sanguinis crassior pars errore loci protrudatur. Accedat autem, necesse est, sanguinis febrilis motus, quo major fit attritus. (8)

Mechanicus autem, etiam stagnatione sive obstuctione tanquam conditione corporis necessariâ praemissâ, non ad sanguinis crasin attendit, sed ad illius copiam et motum a tergo auctum. Celeritatem enim augeri observat Iatro-mathematicus, illiusque causam quaerit in minori vasorum capacitate, rationem

(7) Cum spina saepius sit naturae acidae ex opinione Ettmülleri facile quisque concipit, eum omni fere inflammationi alcalia opposuisse.

(8) Obstructio et auctus humorum a tergo impetus duae sunt conditiones a Boerhaavio necessariae habitae ad inflammationem concitandam *Aph.* 381. 382.

nem habens eorum meatuum obstructorum, ejusdemque sanguinis massae movendae. (9)

§. 6. Licet Stahlius videatur etiam non sine sanguinis stagnatione inflammationem explicare potuisse, tamen inprimis spectat ad augmentum motus tonici vitalis, qui vasorum impedimentum, stagnationem nempe tollere tentat (10). Inflammationem igitur Stahliana theoria potius considerat tanquam activum quid, cujus „ effectus minus periculosi sunt, quam ipsa sanguinis stasis, (11) quae, nisi tolleretur, mox sanguinis dissolutionem secum traheret, cum non solum ipsius progressivum motum tunc amiserit sanguis, (quo praeceps redditur ad dissolutionem nempe ad putredinem) sed etiam accessum penitiorem reliqui sanguinis, sicuti ait Auctor, qui secedentes noxias portiones ex ipso abluere, et auferre valeret, non recipere possit." Sanguinis autem stagnatio a Stahlio etiam habetur inflammationis causa proxima (12), quare statuit, eas partes frequentius ab inflammatione corripi, quae majorem sanguinis copiam vehunt.

CA-

(9) Boerhaave *Aph.* 120. Conf. N. Paradys *Spec. Path. in nat. inflamm. p.* 2. *seq. Lugd. Bat.* 1763. 4°.

(10) *Theor. Med. p.* 831. et Stahl et Gualther. *Diss. de infl. vera Pathol. c.* 3. *p.* 11. *Hal.* 1705. 4°.

(11) Stahl et Gualther. *l. c. p.* 14.

(12) *Theor. Med. p.* 831-835.

CAPUT III.

EXAMEN CRITICUM OPINIONUM ET PLACITORUM OMNIUM SECTARUM ANTEA MEMORATARUM.

§. 1. Hominibus quoddam novarum rerum studium est quasi innatum, quo saepius pelluntur ardore quodam ad minus cognita, nec usu probata prosequenda. Spem tamen bonam de novâ re susceptam saepe fallit eventus et sic poenas temeritatis luit nimia animi agilitas et promptitudo. Tentantum et experiendum esse monet prudens ratio, antequam, praeoccupato judicio, quorumdam accipiamus placita, quae saepius luxuriantis phantasiae sunt figmenta et leviter exstructae hypot eses, quae acutum quidem, e quo provenerunt, ingenium demonstrant, sed, cum auctor potius idearum facilitatem, ut ita dicam, secutus sit, et a priori statuerit, quod non nisi a posteriori innotescere potest, bono carent eventu et illud iterum probant recens excogitatae, aliis jam memoriâ elapsis, quod opinionum commenta deleat dies.

Hippocrates autem, qui non obliviscebatur, „ vitam esse brevem, artem vero longam" non ulterius, quam sibi permittebant artis fines, progressus est, et constitit Hippocratis auctoritas, nec minus in futurum constabit. Sectae vero per aliquod

 tem-

temporis spatium viguerunt, sed mox oblivioni traditae sunt, aliis in earum locum receptis.

Jam vero sponte apparet quaedam sectarum recensitarum convenientia et similitudo. Nimirum Dogmaticam cum Iatro-chemicâ, Methodicam cum Iatro-mechanicâ et Pneumaticam cum Animisticarum Sectâ conferri posse (1) nemo inficias ibit.

§. 2. Dogmaticorum enim erat inprimis respectu quatuor elementorum ordinare morbos, illorumque originem a quatuor humoribus cardinalibus repetere, quodam etiam spirituum vitalium respectu habito; jam vero Secta Iatro-chemicorum non minus attente humorum mixtionem spectavit et spiritus animales; unde quidem constare videtur, utrique Sectae eadem fuisse principia, quibus eorum doctrina innitebatur.

Non minus abunde patet Methodicorum et Iatro-mathematicorum doctrinae baseos similitudo, cum utraque secta, temporis quidem genio maxime diversa, poneret quandam mathematicam rationem inter solida et fluida; Asclepiades enim, cujus doctrina jam olim mechanica vocata est, in quadam pororum et molecularum proportione ponebat sanitatem, eâque turbatâ morbos; et, multis abhinc seculis praeterlapsis, sermonem fieri de quadam vasorum obstructione, oriundâ a perversâ globulorum directione, comperimus. Quam si mihi concedas principiorum similitudinem, quod non dubito, non dissentieris statuenti, magnam etiam esse similitudinem inter principia Sectae Pneumaticorum et Animistarum. Primas au-

(1) J. M. Leopoldt. *Allgem. Gesch. d. Heilk. p.* 224. *Erlang.* 1825. 8°.

autem partes agere in quadam Sectâ procreandâ temporis periodum, quâ coincedit, non est, ut moneam, et pulchre dixit Cabanis (2): „ Aux différentes époques la medicine a pris la couleur des sciences dominantes; elle a voulu parler leur langue et s'assujettir aux mêmes principes qu'elles, de sorte qu'elle a passé tour-à-tour par les différens systêmes, qui ont joui de quelque célébrité dans le monde."

§. 3. Quatuor elementa ponebat Dogmaticorum schola, per quae, respectu habito ad sanguinem, pituitam, bilem flavam et atram, explicare tentabat microcosmi phaenomena; illum autem elementorum numerum ad tria principia chemica restrinxit Paracelsus, et qui, aliud suspicatus primarium vitalitatis momentum, quod illi per spiritus denotare volebant, archaeum suum subjunxit. Simulac autem Chemia corpora accuratiori subjecerat analysi, et, quae antea habebantur pro elementis, in alia decomposuerat principia, ut vana et inutilia jactata sunt, quae docuerat prior aetas (3). Hi vero recentiores Chemici, ut verbis Boerhaavii utar (4) „ magnâ et artificiosâ ignis, vasorum, instrumentorum ope excitabant motus varios, quibus varie permixta inter se, vel lecta seorsum, corpora in novas species, un-

(2) *Coup d'Oeil cet. p.* 147. *seq.*

(3) „Die krankheits-prozesse (ait Leopoldt. *l. c. p.* 176.) selbst werden in der Regel mit chemischen Processen z. B. dem Abbrennen des Schwefels, der Coagulation des Quecksilbers, oder mit kosmischen Vergängen z. B. dem Erdbeben u. z. w. verglichen."

(4) *Orat. de Chem. suos errores expurg. p.* 41. *in Opusc. Hag. Comit.* 1738. 4°.

unde recentes oriebantur agendi vires, antea haud proditae. Illi deinde, quum explorarent corpora artificiosâ indagine, quam copiosissimam dictitabant Chemici, detexerunt genera motûs plurima, quibus similia alterius artis effectu nunquam viderant, quibus paria nunquam sua sponte commissa sibi natura. Invento laetis applaudebat gloria! Sed felicitatis percepta voluptas hebetabat inventoris animum! Similia his repertis in naturâ rerum in corpore humano dari ilico assumebant, assumebantque ut quod certissimum." Hac autem in re non se meliores illis praestiterunt recentiores Chemici, qui etiam nimis festinanter concludisse videntur ex iis, quae pulcherrima experimenta in vasis eos docebant ad ea, quae legibus organismi obstricta, corpus humamanum intus habent. Ita hic ad unum principium Chemicum omnem operationem vitalem, alter ad duo, tertius ad plura referebat (5), de quibus ergo etiam valet, quod de antiquioribus dixit Boerhaavius (6), „ quam est proclivis humana indoles a paucis bene compertis, a singularibus paucis in doctrinae generalia!"

§. 4. Omni jure dixit quidam auctor (7): „ cum theoria medica tamquam philosophiae pars sit consideranda, pari quoque passu videtur utraque a priscis

(5) Mira apparet nonnunquam eorum placitorum similitudo: dicit autem Sprengel. (*Krit. Uebers. d. Zustand. d. Arzneik. cet. p.* 383. *Halle* 1801.) „ Ganz nach der Ideën der Chemiatrischen Sekte des vorigen Jahrhunderts erklärte E. Peart die Erscheinungen des Lebens, indem er Säure aus der Luft, und Alcali aus der Nahrungsmitteln in den Körper gelungen, und dort ihre chemische Rolle spielen läszt." seq.

(6) *l. c. p.* 39.

(7) Ab Eisenhart. *l. c. p.* 1.

cis inde temporibus progressa esse" et infra „ theoriae enim medicorum nisi ex philosophematibus coaevorum aut praeceptorum philosophorum explanari nequeunt." Illius asserti veritas etiam apparet, si ad Methodicorum principia attendamus, cum illorum placita, de qua re nemo dubitat, atomisticae sive corpusculari philosophiae Democriti et Epicuri innitantur. Quae autem ille auctor notat de Methodicorum Sectâ sine dubio etiam valent de Iatro-mechanicâ; hujus enim origo aeque minus ac illius erat fortuita et incogitata, sed potius eam provocasse, et necessario eam gignere debuisse videtur rerum tunc temporis status. Nimirum ex iis, quae supra memoravimus, abunde patet, hanc etiam Sectam non inopinatam duxisse originem.

Utraque autem Secta videtur nimium tribuisse corporis humani solidis, cum Methodici inprimis ad illam atomorum et pororum proportionem respicerent, e qua deducebant strictum vel laxum, et Iatromechanici ad vasorum capacitatem, cursum, meatuumque vasculorum diametros, e quibus circulationis momentum, secretionumque opus cet. explicabant. Postea autem quaedam innotuit doctrina, cujus similitudo, ratione habitâ temporis (8), certe magna reprehenditur, si cum methodicâ eam conferas. Generalioribus enim inhaerere videtur doctrina Brow-

(8) „Giebt man bey Beurtheilung einer Medicinische Form, wie billig den Zeitalter zurück, was ihn gehöret, das unvollkommere und das vollkommere, so ist die Uebereinstimmung der Methodischen Lehre mit der B r o w n i s c h e n unverkenbar." Vid. A. F. H e c k e r *die Heilk. auf ihre Wegen z. Gewissheit cet.* §. 41. *Erfurt.* 1808. 8°.

Browniana, sicut Methodica duplicem morborum classem admittens, quae nititur non quidem atomisticae philosophiae, sed principio cuidam, quod dicebat organismo animali proprium et appellabat irritabilitatem (9). Potentiae autem, quae illam irritabilitatem in actum ducunt, stimuli sunt, qui, si irritabilitati respondeant, harmonica procedit sanitatis operatio. Omnis igitur rei cardo vertitur in stimulis, qui, si majores sint, sthenicam producunt corporis conditionem i. e. morbos sthenicos, si minores, asthenicam i. e. morbos asthenicos (10). Mutato nomine igitur narratur, ut facile quisque perspicit, Themisonis strictum et laxum (11).

§. 5. Pneumatici, verbis Ackermanni (12) uti liceat, „in spiritûs omnia penetrantis affectione morbum consistere putabant, eoque modo ejus medicinae contemplatricis primi Auctores erant, quae summo viro, Stahlio duce, nostro aevo agitari coepta est." Stahlius enim cujusdam principii momentum (13) in corpore humano aequâ liberâ pon-

(9) C. Girtanner. *Ausfürlich. Darstell. d. Brownisch. Syst. cet.* 1. *Bd. p.* 282. *Gött.* 1797. 8°.

(10) *l. c. p.* 284. *seq.*

(11) Heckers *Archiv. f. d. Allgem. Heilk. Bd.* 2. *p.* 38. et *l. c. Bd.* 1. *p.* 175. dicit: „Ihrer Lehre so vieler Fehler man sie auch mit Recht beschuldigen kan, verdankt eine der wichtigsten medicinischen Wissenschaften, die allgemeine Heilkunde, ihren Ursprung."

(12) *Inst. Med.* §. 238. *p.* 168.

(13) Meyer *l. c, p.* 240. dicit: „Beyde Schulen, die Chemische und Mechanische hielten sich nur an eine Form der Aeuszerung des Lebens und verfehlten daher das Wesen desselben, das innere Princip des Organismus, das nicht in einer Form seiner Aeuszerung liegen kan."

ponderabat, videbat quidem magnum discrimen inter corpus organicum et inorganicum, ita ut, quae collegit, ex intimioribus naturae penetralibus petita sint (14). Ille autem vir acerrimi ingenii, sed non praejudiciorum, notante Blumenbachio (15), expers dogma veterum amplectebatur, cum constet, Aristotelem causam motuum in corporibus deduxisse a quodam principio activo, *entechiâ* vel etiam *formâ substantiali* dicto, et Platonem ejusque sectatores, inter quos Pneumatici, credidisse unum esse principium activum per totam rerum universitatem dispersum quod formet, agitet et animet materiam, animam scilicet mundi (16).

§. 6. Jam vero duas Historiae Medicae periodos contemplati sumus, in quibus permulta quidem varia rei medicae contigerunt; eam vidimus doctrinae Hippocraticae ereptam et subtilioribus traditam speculationibus vel elementorum, vel quarumdam communitatum, vel cujusdam pneumatos, quas apud nostros Iatro-chemicos, Mathematicos et Animistas quodammodo repetitas observavimus.

Pauca quidem sunt illorum Auctorum placita, quae prorsus falsa dici merentur; plura vero multum boni nostrae arti protulerunt, et licet iis non contigerit invenire lapidem illum philosophorum et exclamare, quod quondam solebant Osiris Pontifices, invento sine labe bove, εὑρήκομεν, συγχαίρομεν, ta-

(14) Blumenbach. *Introd. in Hist. Medic. Litter.* §. 420. *p.* 342. *Gött.* 1786. 8°.

(15) *l. c.*

(16) F. Hoffmann. *De Differ. Doctr.* Stahl. *et* Hoffmann. §. 38. *p.* 437. *Oper. Omn. t.* 8. *Genev.* 1754. *fol.*

tamen eorum industriâ, magnos cepisse artem progressus, nemo est, qui dubitet. Variis Sectis addicti et quique suarum opinionum strenui propugnatores lapides congessisse videntur ad extollendum aedificium, medicae disciplinae sacrum; lapides, quibus diceres usos fuisse, ut unus alterius laborem everteret; revera illud effecisse et operatos fuisse putabat singula Secta, credebat enim tantam esse suarum opinionum et placitorum vim et efficaciam, ut] vetustioris Sectae ruinam sine dubio secum trahere deberet et ipsa perstaret; sed una — cessit alteri (17).

(17) Verissima sunt quae dicit Baglivius. (*Prax. Med. l.* 1. *p.* 127. *in Oper. Omn. Antwerp.* 1715. 4°.) ,, Subtiliori quolibet mathematico subtilior est natura, ideo quaecunque de medicinâ meditatus fueris, pro veris non habeas, nisi prius ad lydium praxeos lapidem revocaveris; quod si repetitâ experientiâ inveneris vera, pro veris semper habeto. De bono aut malo vino judicare non potueris, nisi gustaveris; perfectus musicus non erit, nisi cecinerit, nec miles strenuus, nisi bella gesserit. Multa homines in musaeis cogitant, quae rationi consona ac prorsus certa existimant, sed quando ad usum descendunt, non solum absurda sed pene impossibilia deprehendunt.''

THE-

THESES.

I.

Doctrina Hippocratica, licet a nonnullis *mortis meditatio* vocata sit, hodie etiam quam maxime commendanda est.

II.

Controversiae et dissensus multum valent in arte scientiâve quadam promovendâ.

III.

Medici Sectae Methodicorum minus, quam rudiores Empirici, reprehendi merentur.

IV.

Febrim flavam seu Typhum Icterodem Americanam contigiosam esse ratio et experientia statuere suadent; falsa itaque est theoria Devèziana, quae illam contagio immunem declarat.

V.

V.

Recte Hippocrates: omnia secundum rationem facienti et non secundum rationem evenientibus non transeundum ad aliud, manente eo, quod visum est ab initio.

V I.

Dysenteria per se non est morbus contagiosus.

V I I.

Minime assentior statuentibus unam tantummodo dari ossis humeri luxationis primariae speciem.

V I I I.

Non absonum videtur statuere, vegetabilia, si eorumdem fabricae et structurae rationem habeas, non ita ab animalium quorumdam oeconomiâ distare, quin cum his affectiones quasdam morbosas habeant communes.

I X.

Si magna cogitemus, quae Chirurgiae bellis recentiori tempore gestis accesserunt, incrementa, de dicti convincimur veritate, nihil tam malum esse, quin aliquid habeat boni.

X.

Febris augmentum non semper malum.

AAN MIJNEN

VRIEND

P. A. JELTES.



Moet dan op dit laatste blaadje
Nog een laatste groete staan,
Om getrouwer meê te reizen
Waar ik zelf niet heên kan gaan?

Laat het dan mijn bode wezen,
Die mijn afscheidsgroet U schenkt,
Om U in mijn plaats te zeggen,
Dat de vriendschap aan U denkt.

Eens in kalme schoone dagen
Heeft de Rijn ons zaam aanschouwd:
Aan zijn oevers heeft de vriendschap
Ons een altaar opgebouwd.

Stroom' de Rijn vrij bruisschend henen,
Wat of wissel of verval....
Dit is zeker, dat ons altaar
Aan zijn oevers blijven zal.

Vriend! gij gaat den Rijn verlaten,
Waar de wijsheid eens U riep,
Toen de kennis die gij gaarde,
Nog in de eerste sluimring sliep.

De

Ook die tijd is heengevlogen,
Slechts 't herdenken rest er van,
Alles wat men van 't verleden,
Als 't voorbij is, noemen kan.

De IJssel wacht U aan zijn boorden,
Met den schat hier opgegaard,
Met de vrucht van Leydens Wijzen,
Met uw eigen schat gepaard.

De IJssel zal U welkom groeten,
Zoo als eens de Rijn hier deed,
En op nieuw U bloempjes schenken,
Schoon gij nooit den Rijn vergeet.

Ga dan, Vriend! gelukkig henen,
Afstand scheid de vriendschap niet,
Vrienden denken aan elkander,
Als het oog elkaâr niet ziet.

Leef gelukkig als voordezen,
Help de menschheid waar zij lijd;
Denk, dat schoon wel ver verwijderd,
Gij toch niet vergeten zijt.

Leef gelukkig dan aan de oevers,
Waar langs de IJssel henen snelt,
Denk dat, schoon wel ver verwijderd,
Ge aan den Rijn ook vrienden telt.

N. H. TATUM ZUBLI.
Theol. Stud.